ROBERTI TITII BVRGENSIS

PRO SVIS LOCIS CONTROVERSIS ASSERTIO

Aduersus Yuonem quemdam Villiomarum Italici nominis calumniatorem.

Ad Franciscvm Mugghionium.

Cum licentia Superiorum.



FLORENTIAE,

Apud Bartholomaeum Sermartellium.

CIϽ IϽ LXXXIX.

AVCTORIS ADMONITIO AD Typographum.

TYPOGRAPHE, quisquis es, & si quis vnquam futurus es, qui è re tua duxeris hos libros iterum formis repræsentare, auctor plurimùm te rogat, vt aliquot errata, quę ipse cursim, ac properanter vniuersum opus relegens, obseruauit, castigare velis; multa præterea se effugisse non dubitat, quę tua item diligentia emendabis: is porrò grammatolectis menda, & si quę ipse quoq; conniuentibus oculis, aut calamo erranti (vt fit) in scribendo quandoque admisit, nequaquam se præstare debere putat, idque à non Villiomaris minimè sibi vitio versum iri pro comperto habet. Pagina 2. nisi primùm. lege, prius. pag. 4. ἰχὄοι. l. ἰχὄσι. pag. 8. ait tu. l. ais. eadem: tuus primus assaltus. l. assultus. pag. 24. si magister primus. l. prior. pag. 33. Doliam. l. Deliam. pag. 26. pro vnda. l. per vndam. pag. 42. ἠρόπίματα. l. ἐρώτηματα. pag. 51. ἐπὶ ψοχῆ. l. ψυχῆ. pag. 53. sed & hac quoq;. l. hoc. pag. 60. complessionem. l. complexionem. pag. 73. à quoque. l. à quoquam. pag. 77. Mauors imbelles. l. imberbes. pag. 80. in eum. l. in eo. pag. 84. certè γεγυμνωμὄυς. l. certè vox γεγυμνωμὄυς. pag. 118. tretricas. l. tetricas. pag. 119. τὰ ἤτικά. l. ἠθικά. pag. 121. ingenij cecumine. l. acumine. pag. 130. Barbatij Philippi. l. Barbarij. pag. 134. in feno Greco ponitor. l. ponito. pag. 137. facillimè collegeretur. l. colligeretur. ead. nominum impositione: l. impositionem. pag. 139. per ἀπόδειξιν. l. pro. pag. 149. βαθυπλκάμυς. l. βαθυπλοκάμυς. pag. 157. πτέλα. l. πτίλα. pag. 157. percommodè eam illic. l. eam vocem. pag. 170. si solis niger. l. sol. pag. 176. si τὸ ὅμιον. l. ὅμοιον. ead. alterum ῥίζαν. l. ῥιζίαν. pag. 179. post illud. Consules appellantor, adde: & inquit Liuius initio libri secundi, Libertatis autem originem inde magis, quia annuum imperium Consulare factum est, quàmquòd diminutum quicquam sit ex regia potestate, numeres. pag. 186. Ciceronis ratio. l. oratio. pag. 189. Vide Villiomare. l. mi Villiomare. pag. 201. atqui odor non nocet frugibus? dele notam interrogationis semiperfectę clausulæ stigme apposita nempe hac: ead. referatur. l. referantur. pag. 203. hoc est, minutis foliis prędítam. l. hoc est longè inter se distantibus foliis præditam: ead. vmbra solet esse grauis cunctantibus; adde, quamquam quid prohibet Latinè dici Cunctari in vmbra, cùm eadem syntaxi, ac sensu dictum constet à Virgilio,

Reginam in thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant. sic etiam Liuius lib. 1. Alij dum cunctantur in ripis inter fugę, pugnęq; consilium oppressi. pag. 216. cui nullo pacto. l. cui morbo, &c.

ROBERTI TITII BVRGENSIS

ASSERTIONIS LIBRI DECEM.

Procœmium.

ALIQVANDO tandem ad nos perlatæ ſunt Calumniatoris diatribæ in meos Locos controuerſos, de quibus iam diù literis amicorum factus eram certior, atque aliquid etiam multorum ſermonibus inaudieram, qui ſtactam, & cinnamum pollicebantur; nondum eis manus admoueram, ſed longè in libraria taberna expoſitus liber proſtabat, cùm ſtatim odoris ſui grauitate nares meas ita perculit, vt illam ferre vix poſſem; acceſſi tamen propius obfirmato ſtomacho futurum ſperans, vt aliquid inde adiumenti, velut ex amarulento pharmaco, ad imbecillitatem meam ſubleuandam mihi compararem; quid plura? ipſiſſimum caſeale, merum ſterquilinium; & tamen audet homo omnium impuriſſimus illo ſuo fœtido ore Italorum menſas afflare, eiſque venenum malefica manu oppidò quàm pernicioſum aſpergère, neque enim Robertum Titium modò ſibi propoſuiſſe videtur, quem probris omnibus, maledictiſque vexaret, ſed Etruriam ipſam, atque adeò vniuerſam Italiam, quantùm in ſe fuit, peſſundare conatus eſt; qua in re perſpicuè oſtendit, non veritatis amore, ſed contradicendi ſtudio hanc ſe prouinciam ſuſcepiſſe, quandoquidem non mihi vni bellum denunciaſſe, ſed propriis, priuatiſq; auſpiciis vniuerſam Italiam prouocare voluiſſe ma-

nifestò apparet, vt hinc etiam Maiestatis reum facilè agnoscamus, qui inconsulto, atque adeò inscio Principe signa extollere, exercitum contrahere, arma mouere, classicum canere, prælium denique committere non sit veritus; at quibus viribus? quo consilio? quo apparatu? Equidem ita semper existimaui, licere vnicuique in hac Repub. literaria non modò liberè sententiam proferre, sed aliorum etiam consilium pari libertate improbare æquissimum duco, pertinet enim (vt inquit Aristoteles) ad ingenij profectum contentiosa disceptatio, itaque prouerbio iactatum est μάχαιραν ἄνευ μαχαίρας ἀχόνην: atque ego is sum, qui quòd scribendo proficiam, & proficiendo scribam, haud equidem molestè feram sequentibus scriptis emendare, si quid in prioribus quandoque deliquerim, nec cuiusquam iustam, placidamq; castigationem vnquam respuerim; ἀγαθὴ γὰρ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρου, inquit Homerus: neque ego tàm sum meis addictus, vt, si quod semel protuli, falsum esse sciero, mordicus idem sim defensurus, itaque nullam mihi fieri iniuriam puto, si quis aliter, atque ego, sentiat, aut loquatur; quin & ab hoste quoque doceri fas esse arbitror: sed quò conuicia illa ex triuio, macelloque arrepta, perpetuòque tuis scriptis aspersa Villiomare? quid attinebat, cùm certamen de literis instituisses, ad insectationem morum prorumpere? quid cogitasti, cùm pugnam, quæ tibi mecum depugnanda erat, ad vniuersam gentem transtulisti? enimuero non satis expertus fuisse videris, quàm parati sint Itali ad iniuriam propulsandam, cùm tamen Chianeus Oligenius, si qui modò hic vnquam Oligenius, huiusce rei præclarum specimen nuper ediderit, dum Fabij Paulini præstanti hominis ingenio, & doctrina famam, quam tu impudentissima procacitate conuellere conatus es, egregiè sartam tectam præstiterit, tibique istas cristas nullo, vt verissimè ille inquit, rubore coloratas, sed teterrimo liuore, & maleuolentia suffusas præcidit; atque interim fortasse fiet, vt aliquis Italici nominis, ac dignitatis studiosus parem iniuriam nostræ genti ab Henrico Stephano sua illa Bunelli Epistolarum editione, atque alibi quoque non semel iniunctam, quandoque reponat: verùm ad id, quod

me

me potissimum tangit, redeo: vide quàm de te honorificè sentiam: non existimo te tàm impudentem fuisse, quamquam es impudentissimus, vt tantum opus, solus, inermis, nullis copiis suffultus, omni denique auxilio destitutus aggredi in animum induxeris: habes isthic tuarum partium fautores homines videlicet φιλονείκους, nouarumque rerum percupidos, quorum consiliis, atque opibus instructus hoc facinus inceptare non dubitasti; ij, cùm tuam φιλοτιμίαν probè nossent, inflarunt te vana spe laurearum, triumphorum, gloriæ; hominiq; sua sponte ad omnem temeritatem prono temeritatis arma porrexerunt; tu credulus, & præter modum ambitiosus antequam proprias vires explorasses, & quantam rem transigendam sumeres tecum reputasses, temerè, atque inconsultò statim ad arma prosiluisti; illi interim ex tuto rei euentum expectant, tu capite periclitaris, quod sanè dignum est præmium tuæ stultitiæ: sed huius apparatus, atque expeditionis longa est series, longæ ambages: mihi nunc non vacat rem totam, vt gesta est, pluribus exequi, neque enim te imitabor, qui literaria contentione suscepta statim ad virulentas contumelias transiuisti, tempus, πολυτελέστατον videlicet, vt quidem Democritus, ac Theophrastus aiebant, ἀνάλωμα maledictis coaceruandis insumens, pluresq; paginas rebus nihili, aut nihil prorsus ad institutum pertinentibus vndiq; conquisitis illinens. Porrò autem scias velim, me, postquam tua scripta percurrere cœpi, nihil quicquam tibi prorsus respondere decreuisse, tùm ne cùm insano ipse quoque insanire quodammodo viderer; tùm etiam, quia non tantùm ab re mea ocij mihi supererat, vt ineptias istas, & argutiolas confutare vacaret, ac præterea nullam mihi laudem ex tàm infimo hoste acquisitum iri videbam, cui propterea ita subinde occinere consueuerim;

Numquam animam talem dextra hac, absiste moueri,
Amittes; habitet tecum, & sit pectore in isto.

sed tandem amicorum admonitionibus parere operæprecium duxi, qui affirmarent, verendum esse, ne, si tantam tuam licentiam tacitus ferrem, homines, qui me reprehensum audirent, iure id factum esse existimarent, silentiumq; meum confessionis nomine interpre-

terpretarentur: addebant insuper agi hic de publica studiosorum omnium vtilitate, quos tu falsis opinionibus imbuere; & quasi infatuare conatus esses: huic malo medicinam in tempore adhibendam esse iudicabant, idque, antequam serperet longius, maioresq; vires in dies sumeret, comprimi oportere censebant. Propè igitur coactus, volensq; nolenti animo tuis calumniis occurrendi negocium suscepi, quod tamen ita geram, vt omnes planè intelligant, nihil me prius, potiusque in hac disputatione habuisse, quàm vt veritas densissimis, obscurissimisque tenebris abs te inuoluta in purissimam lucem proferretur. Volo autem tibi parcere, tuamq; leuitatem suspensa manu castigare, non quia vlla venia dignus sis, sed ne quod in te, tuamq; inscitiam, & impudentiam verissimè dicerem, nobilissima gens Gallica, de qua ego semper optimè sensi, ac perhonorificè sum loquutus, aliqua ex parte ad se pertinere suspicaretur; quamquam eum te esse puto, qui ne isthic quidem, vnde tam insulsa, ac Thrasonica verba magnificè, iactabundèque funditas, probè sis cognitus ob ignobilitatem scilicet vel doctrinæ, vel morum; & sunt, qui affirment Italogallum te esse; Burdonem videlicet quempiam ex agro Patauino haud ita generosum, vt minimè vereri oporteret, ne eruditissimos viros, quibus semper Gallia tùm aliàs, tùm verò nunc maximè floret, vel tantillum propterea infensiores mihi experirer; quota enim pars es tu nobilissimi istius corporis; cùm de te iure, ac meritò quæri possit;

Τίς, πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις. ἠδε τοκῆες?

sed vel in tuæ, vt tu vis, nationis gratiam, vel, vt institutum meum etiam grauiter læsus constanter, ac sedulò tuear, acerbioribus in te maledictis abstinebo: pauca tantùm de tuis moribus, ac doctrina leuiter interdum attingam, magis adeò, vt tibi pudorem incutiam, istamq; tuam superbientem temeritatem, atque insolentem fastum salubri consilio retundam, quàm vt contumeliis tecum certare velim. siquidem, vt inquit ille -Bacchæ baccanti si velis aduorsarier,

Ex insana insaniorem facies, feriet sæpius,

Si obsequare, vna resolues plaga.

Et alioquin vix fieri potest, vt, dum repellere vulnus conamur, ipsum

aggressorem

aggressorem nolentes interdum non vulneremus: addo etiam istam tuam maledicentiam nescio quid sui vitij nobis affricuisse; quòd si vlterius lacessere institeris, nimirum senties, quàm non præstet τὸν λέοντα νύπτειν.

Habeo alia multa, quæ nunc condonaberis,

Quæ proferentur posthac, si perges lædere.

ac, non modò te, quisquis es, perditissimi hominis emissarium, ac satellitem acrius, atque acerbius impetam, verumetiam impulsorem istum verissimis maledictorum notis inustum tradam memoriæ hominum sempiternæ, vt suo periculo verissimum esse experiatur, quod vulgò circumfertur; Malum consilium consultori pessimum; aut potius personam tibi detraham, tuamq; istam impudentissimam frontem nudam, atque apertam cunctis spectandam proponam, vt non amplius Villiomarus Aremoricus, sed Burdo quispiam Patauinus posthac esse appareas: denique sic habeto, te, vt seueris, ita messem facturum; sedenim iam te componito, atque ad legendum comparato, vt, si quam maledicendo voluptatem cepisti, eam maleaudiendo amittas: atqui audin; prius istud tuum multa bile refertum caput aliquibus quinque cyathis ellebori diligenter purgato, deinde paucula hæc non oscitanter legito; potes sanari, si me audis.

Ἡ δὲ ἐμοὶ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή.

ROBERTI TITII BVRGENSIS

ASSERTIONIS LIBER PRIMVS.

OMNIS tuæ reprehensionis aculeus, Villiomare, aut mores petit, aut in eruditionem dirigitur; ad primum quòd attinet, nil tibi respondere magnopere necesse habeo; nam si de mea anteacta vita ex illis meis scriptionibus, in quas tu seuerissimè, ac petulantissimè inuectus es, iudicium fieri debet, locupletissimum sanè testem innocentiæ, animiq; integritatis me habere sentio; atque equidem iam vsque ab ineunte ætate vitæ meæ cursum ita institui, vt potiorem curam de moribus, quàm de doctrina semper gesserim, quippe qui scirem longè magis ad salutem, quæ ex Christo est, consequendam morum probitatem conducere, quàm speciosos istos eruditionis titulos, neque enim doctrina, aut linguæ nitore, sed fide, & cordis puritate Christiani homines iudicantur, imò verò, vt scias, si probitas absit, non modò hæc nullum adiumentum præstant ad æterna gaudia adipiscenda, sed etiam obsunt mirandum in modum: atque vtinam qui peruersa mente, sceleratoq; consilio præditi fuerunt, omnium disciplinarum penitus rudes extitissent, præclarius certè multò cum Rep. Christiana ageretur: verumenimuero Deus Opt. Maximus, cuius incredibilis prouidentia hanc Petri nauiculam tumidis, magnisq; fluctibus, ac sæuissimis tempestatibus vndiq; agitatam regit, atque gubernat, eamdem ab his fallacibus scopulis incolumem, tutamq; præstabit; huic ego mores, vitæq; meæ institutum probare debeo; quid tu, atque alij tui similes de me sentiatis, aut loquamini, nequaquam laborandum mihi esse duco; & sanè quæ in vitam meam euomuisti, plus furoris habent, quàm roboris, talia namq; sunt, qualia vulgò à procacibus, petulantibusq; scurris in quemuis oblaterari solent; itaque vix digna iudico, quibus respondeam; cur enim vel tantillum istis tuis contu-

meliùs commouear, cùm alicubi affirmes, ne de nomine quidem me tibi cognitum esse? video fore, vt opus in immensum excrescat, si hanc rem fusius prosequi velim, quare hoc argumento posthabito ad ea me conuertam, quæ doctrinam, & eruditionem spectare dixi. Meos libros illo titulo insigniui, vt de veterum scriptorum locis illic à me tractatis meum iudicium in vniuersum patefacerem, pro controuersis etenim, non pro firmis, atque exploratis ea me habere intelligi volebam, quæ illis scriptis mandassem, & alioquin arrogantiæ crimen vitare studui, in quod procul dubio incurrissem, si obscura pro claris, falsa pro veris, incerta pro certis quodammodo obtrudere voluissem; in quo titulo quid peccati insit tùm quod ad rē, tùm quod ad verba attinet, nec ipse dispicio, nec tu tantus Criticus nobis ostendere valuisti. Noui equidem vestratium hominum *Emendationes, Obseruationes, Antiquas Lectiones, Animaduersiones, Spicilegia, Quæstiones, Aduersaria, Coniectanea, Necyomantiam, Anniuersarias disputationes, Varias*, quoque *Lectiones*, & *Miscellanea*, de quibus nihil in præsentia dicere habeo, cūctæ siquidem huiusmodi inscriptiones aliqua probabili ratione innituntur, nec vlla ex parte reprehendi merentur; nisi quòd vox *Miscellanea*, qua Politianus noster suam Centuriam insigniuit, non satis Latina quibusdam videtur pro Græca σύμμικτα, qua vsus fuit præter cæteros Philemon grammaticus in suo quodam libro appellando, in quo variæ, multiplicesq; res, vt à nostris, explicabantur: sed ne de hac quoque ἐπιγραφῇ longiorem sermonem instituere libet, neque enim est opus; tantùm dicam vestrates quoque Gallos hac inscriptione adeò fuisse delectatos, vt eam ad suos huius materiæ libros nuncupandos adhibuerint, Ioannem Corrasium intelligo, Bernardum Valtherum, Petrum Nannium, Ioannem Brodæum, Paulum Leopardum, quorum omnium auctoritas, vt omnis ratio absit, Politiani factum satis tueri potest; nam quòd & idem Politianus, & alij Itali ex vna vocula integrum caput Variarum Lectionum interdum conficiunt, ratione non caret, volunt enim rem, quam in manibus habent, manifestè, ac perspicuè intelligi, quòd fieri vix potest, nisi primùm vulgata lectio confutetur, ac noua deinde certo, aut probabili saltem argumento constituatur; ad id porrò efficiendum pluribus interdum verbis opus est, alioqui res obscura redditur, nec facti ratio satis constat, cui vitio Hadrianum Turnebum præter cæteros obnoxium esse norunt omnes, non Itali modò, sed Galli quoque, itaque Marcus Antonius Muretus alia via sibi ingrediendum duxit, vt videre est toto illo suo volumine Variarum Lectionum: tantum igitur abest, vt vobis Transalpinis in hoc genere literarum loqui per nos nō liceat, vt vos multò plus interdum loquutos esse vellemus, quàm hactenus fecceritis, nam Iosephum Scaligerum, exempli gratia, in sua illa Sexti Pō-

pei

pei editione Farnesiani codicis, quem totum ad verbum compilauit, numquam meminisse, quis ferre possit? Prodiit nuper in lucem Romana editio à Fuluio Vrsino viro non minus docto, quàm spectatę fidei procurata, eà Scaligeri furtum plusquàm manifestum detexit; hoc est, quod vobis dolet, hoc est, quod Scaligerum te, non Yuonem istum fictitium esse manifestò declarat; hinc odium inexpiabile non modò in Titium, nam hic adeò despicabilis tibi videtur, vt ne tuo quidem odio dignum iudices, sed in vniuersam Italam nationem; hinc deniq; tragœdiæ omnes, quas in istis tuis diatribis excitasti, quibus quid singillatim respondere habeam, hinc iam ostendere incipiam.

CAPVT PRIMVM.

ORITVR quæstio super notione vocabuli ἄπορον ex Gellij, & Quintiliani locis, quos indicaui; hâc tu rem cõcoquere non potes, Villiomare, itaque eam ad Vulcani violentiam, vt inquit ille, iterum apponam, & altera coctura teneriorẽ adhuc efficere conabor, ne cruditate pereas, video enim, quàm delicato sis stomacho, atque imbecilli: potes autem hinc facilè perspicere, me non adeò iratum tibi esse, vt isti tàm lepido capiti malè cupiam, imò verò tua mihi salus vehementer curę est, vt ad te redeundi spatium habeas. Cùm igitur ait Quintilianus. *Idemq; ἄπορον καὶ προληπτικὸν dicunt, quo dubium, & pręsumptum significatur, de quo liquet*; hoc ait, Plurimi (est enim ἀπὸ κοινοῦ repetendum) ἄπορον καὶ προληπτικὸν simul sumptum genus quoddam status esse definiunt, quo aliquid tanquam dubium, ac controuersum accipitur, cùm tamen de eo liqueat: hæc duo vocabula ἄπορον καὶ προληπτικὸν valent, interprete Quintiliano, id, quo dubiũ, & præsumptum significatur, de quo constat; vnde notio duplex oritur vocis ἄπορον, vna, cùm simpliciter, atque absolutè exprimit id, quod solui nequit, altera, cùm secum habet προληπτικὸν, vt sit tamquam ἀποροπροληπτικὸν: illius exemplum petere licet ex Alexandri quæstione vni ex Gymnosophistis ad dissoluendum proposita, nec non ex Africani Iurisconsulti thematè quopiam, quod in Pandectis extat Ad legem Falcidiam capite, quod hinc initium sumit, *Qui quadringenta habebat*, & cętera; verba ipsa, qui volet legere, vbi debeat quærere, indicaui; habet enim illius facti species difficilem admodum solutionem, velut ipsemet Africanus ostendit, itaque iure meritò in genere τῶν ἀπόρων ipsam collocauit, sic enim disertè spectatur in Pandectis Florentinis, atque hanc scripturam agnoscit eruditus vir Petrus Aerodius in suis ad Quintiliani declamationes scholiis, quamquam Andreas Al-

ciatus,& Ioannes Cruceus τῶν ἀδόξων legant contra fidem archetypi. Chirius, vt vocant, Fortunatianus aliam facti speciem τῦ ἀπόρου nobis proposuit. Plures insuper huiusmodi quæstiones ab Alexandro Aphrodiseo dinumerantur in Proœmio suorum problematum: atque hæc, inquam, exempla sunt notionis vocabuli ἄπορον, cùm simpliciter valet id, quod nullo pacto ægreue admodum potest expediri,quę nota est,& peruulgata vocabuli significatio à verbo ἀπορέω, quo vtitur Cicero ad Atticum libro septimo; vnde ἀπορία penes eumdem auctorem: alterius notionis, hoc est, cùm secum habet coniunctum, ac copulatum προληπτικὸν, exemplum sumitur ex Gellij controuersia,atque adeò ex omni proloquio, vt dixi, quoniam ea, sicut Eustrathius Aristotelis interpres affirmat, sua sponte cognita sunt, & in communi sensu, conceptuq; versantur, itaq; indemonstrabilia censentur, nec vlla explicatione prorsus indigent,ac propterea ἀναπόδεικτα, καὶ αὐτόπιστα nuncupantur,siquidem (vt est apud Aristotelem primo Topicorum, vbi de veris, & primis demonstrationibus loquitur) μὴ δὲ ἑτέρων, ἀλλὰ δι' αὐτῶν ἔχοντα τὴν πίστιν. quoniam igitur in quæstione Gellij aptus iudicum numerus non conuenerat, res expeditissima erat, neque dubitari poterat, quid in ea facti specie statui oporteret; itaq; rectè controuersiam illam ex genere ἀπόρων vocat Gellius, cùm id videlicet asciuit προληπτικὸν, quemadmodum illud tunc asciuisse intelligendum est, licet hoc ibi non exprimatur, res enim ipsa manifestò docet, hoc genus illic significari. Tu somniasti duas statuum formas sub vno genere περὶ ἐννοίας comprehensas, cùm tamen Quintiliani verba vnum tantum designent, vt rectè intuentibus perspicuè patet, Petrusq; Mosellanus ad illum locum non obscurè indicat: ac de ἄπορον quidem voce tot dixisse sufficiat. Iam(vt hoc etiam addam, quod tamen huic disputationi minimè conuenit,sed te præeuntem sequor,ne quicquam ἀναντιφώνητον prætermittam) vnum, idemq; verbum contrariam quandoque comprehendere sententiam superuacaneum prorsus fuerit exemplis demonstrare, cùm sit in promptu Lucretianum *fungi* vel te magistro.

At facere, & fungi nisi corpus, nulla potest res.

Necnon Virgilianum *resignare*, vt quibusdam placere video, nam ego quidem longè aliter sentio.

Dat somnos, adimitq;, & lumina morte resignat.

Sic fermè dictum videri potest à Sallustio de Bello Iugurthino. *Dum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur.* Qua voce M. Tullius, & Alphenus Iurisc. eadem notione vsi fuisse videntur, si Alciati sententiam sequi volumus, nam Duarenus aliter omninò existimat, quod verum puto: sic etiam, Victorio teste, semel tantum vsurpauit Var-

ro De re rust. & Cæsar De bello Gallico dictionem *emolumentum* pro damno, & incommodo; item Iustinus, & Arnobius verbum *recludere* pro *operire*, *obesum* quoque tùm *macrum*, tùm etiam *pingue* dicimus, & *vescum salem* vocat Lucretius ex edendi intentione, aliter Lucilius *vescum* appellat, cum edendi fastidio; & *principium* pro *fine*, *emptorem* pro *venditore*, *locatorem* pro *conductore*, *creditum* pro *debito* quandoq; sumi adnotat idem Alciatus Parerg. lib. 5. sic *Intempestiua conuiuia* dicta esse videntur, quæ alibi *tempestiua* nuncupantur: sic penes Grecos *πράττειν ἀντὶ τῦ πάσχειν*, rursusq; *πάσχειν ἀντὶ τῦ πράττειν* quandoq; vsurpari adnotatum est: sed hæc iam præter rem (vt admonui) disputantur, cùm *ἄπορον* contrario sensu per se non accipiatur, sed appositione vocis *προληπτικὸν* in aliam notionem trãseat: Hoc posito cuncta deinde rectè procedunt, ac quamquam in eo fortasse falsus fuissem, illud certè bono iure me tueri posset; de quo nos admonet Antonius Pinus in suis ad locum Quintiliani Commentariis, intellectum videlicet illorum verborum obscurum, atque impeditum omninò esse, mendiq; suspicione contextum non carere: sed enim aut ea, quam superius exposui, vera illius loci sententia est, aut certè haud procul à vero. In eo porrò, quod ex tuo sensu Iuliani iocum interpretaris, nihilo te perspicaciorem præbes, qui censeas controuersiam, quæ controuersię nomen mereatur, in vtramq; partem declamari oportere. Ego existimabam (nec fallor) controuersiam *θέμα* statim esse, diciq;, ac quippiam non certò, ac determinatò proponitur, sed declamatori facultas præbetur, vt alterutram, vel, si malit, vtramq; partem oratione exequatur; cuius generis sunt Quintiliani Declamationes: neque Seneca pater aliter sentit hac de re in Procœmio suarum Controuersiarum, quem ego auctorum sequutus sui, cùm illa scriberem, præsertim Rodolpho Agricola in hanc mentem eius verba illic interpretante, nam quod tu Procemium Suasoriarum dicas, non intelligo, cùm liber ille non modò procœmio careat, sed primam Suasoriam *ἀκέφαλον* præseferat, atque ita etiam vtitur Gellius dictione hac, vt futilis admodum, & ridicula appareat interpretatio tua ad iocum Rhetoris Iuliani; mea quidem certè non parum confirmatur Ciceronis testimonio prima Tusculana. *Quia disertus esse possem, si contra ista dicerem:* videlicet disertus essem absque controuersia, hoc est, in re, in qua licet cuilibet esse diserto, cùm ea dubitatione careat. Ouidius quoq; in libro 3. Tristium idem ferme inquit,

Et tamen est aliquis, qui vulnera cruda retractet,
Soluat & in mores ora diserta meos.
In causa facili quemuis licet esse disertum.

Sic adolescentulus ille eloquentię vires effudit in argumento pertrac-

tando,

tando,in quo infantifsimus quifq; difertus effe potuiffet,quo etiam nomine Iulius Africanus Iulij Oratoris nepos Vareni caufam agens à Pafsieno Crifpo notatus olim fuit hoc fermone, *Bene,mehercule,bene, fed quò tàm bene, cùm id caufa non exigeret?* Latet autem iocus, vt tu quoque meo admonitu diuinafti,in duobus illis verbis, *Sine controuerfia*,quæ cùm valeant in communi fermone, *Planè, Certè, Proculdubio*, Ὁμολογουμένως, ea Iulianus aliter accepit,fic autem confueuimus interdum vrbanitatis gratia fermonem torquere, atque in ambiguo ludere παρὰ προσδοκίαν, figura Plauto valde vfitata; accepit, inquam, in eam mentem, quam ego fuo loco demonftraui, non quomodo ipfe tibi falsò perfuafifti, nam, quamuis reus ad fupplicium non depofceretur, potuiffet nihilominus adolefcens ille difertus haberi, fi aptè, ac copiosè partes à fe fufceptas abfoluiffet; alioquin fateri oporteret in genere præfertim Demonftratiuo,cùm quis fimpliciter laudatur,aut vituperatur, diferto effe cuiquam non licere, itaq; Thucidides in Oratione funebri à Pericle habita, Demofthenes in Oratione itidem funebri, fi modò ipfum ea auctorem agnofcit, certè Ifocrates in Helenę Encomio,in fanè bona,magnaq; Panegyrici parte,in Panathenaico, quem non ad iudiciorum certamen, fed ad voluptatem aurium fcripfiffe ait Cicero, Ariftides præterea, Dio Chryfoftomus, Themifthius Euphrades,Gregorius Nazianzenus,veteres itē Latini,M.Cato,Galba,Scipio, Gracchi,Porcina,Craffus, quorum operam verfatam fuiffe fcribit Porcius Latro in eo generè forenfis exercitationis,quę caneret laudes egregias fummorum hominum, atque animos inflammaret Pop. Rom. ad imitandum; recentiores quoque, Plinius videlicet, Mamertinus, Pacatus, Nazarius, Aufonius, cęteri eloquentiæ laude fpoliabuntur, quo quid dici poteft abfurdius, & à rei veritate alienius? & tamen confequens effet, fi tua fententia obtineret, eos omnes, quos modò nominaui,infantifsimos effe,& penè elingues, propterea quòd controuerfia caruerunt; quamobrem fateri debemus, eloquentiæ oftentandæ locum etiam fuiffe in parte illa quæftionis exponenda, quam Neapolitanus adolefcens arripuerat, quemadmodum etiam in fimplici narratione ingenij,ac facundiæ vires expromere licet, ficut Ciceronis, Cæfaris, Salluftij, Liuij, atque aliorum multorum exemplo facillimè perfpicitur: itaq; non iccirco adolefcens ille per contemptum fine controuerfia difertus nuncupari debuit, quia fcilicet contradictione caruerit,fed quia in re plana,atq; aperta verfatus fuerit, vbi facundiæ vim, ac facultatem exerere facillimum fuit,& cuilibet vel mediocriter eloquenti diferto effe licuit,quæ res laudem non habet,eam faltem,quam auditores ex cohorte illius adolefcentis fibi perfuaferant: ac fanè Quintiliani declamatio 365. quæ idem θέμα propofitum habet, damnatumq; ad mortem

tem depoſcit, pluribus argumentis confutari poteſt,ac longè,lateq; pateentem campum præbet in contrariam partem excurrendi, cuius nonnullam imaginem refert Plinij controuerſia, de qua is cum Ariſtone agit libro 8.Epiſtolarum,qua cum quæſtione,& controuerſia licet conferas hunc Ciceronis locum ex 5. Epiſt.ad Atticum. *Meditare aduerſus Brutum cauſam meam, ſi hęc cauſa eſt, contra quam nihil dici poteſt, prę ſertim cùm integram rem, & cauſam reliquerim.* Huiuſmodi ferè quæſtiones ridiculas vocat Plato in Euthydemo,illas alteras *ἄφυκτα ἐρωτήματα* in Theeteto. Quòd deinde affirmas quæſtionem illam fuiſſe *μονομερῆ*, nullo magis acuto gladio tuum iugulum te petiiſſe intelliges,ſi,quæ propriè *μονομερὴς* quęſtio à Rhetoribus dicatur,probè tenueris;id autem docebit te idem ille,quem vocant,Chirius Fortunatianus,cuius verba ſubiicio. *μονομερὴς eſt,cùm ex prima parte tantùm conſtat, nec quicquam ex ſecunda afferri poteſt; vt ſunt loci communes, verbi gratia, Leno, qua parte venturos ad ſe adoleſcentes ſciebat, noctè foueam fecit occultam; ea iuuenes perierunt; accuſatur, quòd cauſam mortis pręſtiterit: hîc enim Lenoni nulla defenſio eſt.* tu *μονομερῆ* interpretaris controuerſiam, vbi nullo proponente contradicitur, Fortunatianus, vbi contradici non poteſt,vt ſunt loci communes: vtri nunc magis credemus? Ego quidem nil prorſus dubito, quin tu hæc, Villiomare pro iſta tua exquiſita eruditione, qua omnes Italos te ſuperare iactas, iuxta mecum intelligas, tametſi verbo contrà obnixè aduerſeris, vt tuo exulcerato animo morem geras. Cęterùm multò commodius tibi ſucceſsiſſet, ſi me de eo tantùm reprehendiſſes, quòd diſcipuli factum pręceptori tribuerim, quamquam ne hoc quidem ita conceſſerim, vt veriſimile fuiſſe negem, *θέμα* illud è Iuliani ore primùm profectum, deinde ab eius aſſecla illi alteri declamandum fuiſſe propoſitum: ſic Pompeius ore Scipionis in Senatu loquebatur,cùm is affirmabat Pompeium in animo habere Reip. non deeſſe,ſi Senatus ſequeretur; ſi cunctaretur, atque ageret lenius, nequicquam eius auxilium, ſi poſtea vellet, imploraturum. *Hęc Scipionis oratio* (inquit Cæſar) *quòd Senatus in vrbe habebatur, Pompeiuſq; aderat; ex ipſius ore Pompeij mitti videbatur.* Sed hæc non ſunt tanti,vt chartæ iacturam facere velim in eis vel defendēdis,vel emendandis. eiuſdem etiam generis eſt id,quod ais, *ἄπορον duobus modis capi ſolere,vt tuis verbis vtar*; quaſi verò minus rectè loquutus fuerim, quomodo enim aliter interpreter, cùm de me agas,cuius verba ſingula in ſtatera auraria pendis? Sed potes certè meis verbis vti,Villiomare, neq; vereri debes, ne non Latinè loquaris, nam & *Capere* pro *Sumere*, & *Duobus modis* pro *Dupliciter* tàm diuiſim, quàm coniunctim vſurpari ſolere notiſsimum eſt, idq; ego pluribus exemplis propoſitis liquidò demonſtrare poſſum,ſi libeat,ſed no-

lo eorum


lo eorum appositione studiosum lectorem in re manifesta diutius detinere; tantum dico, Budæum, Erasmum, Gazam, Victorium, Muretum, Iunium, Alciatum, Maioragium, Lipsium, Nannium, Mercurialem, Drusium, Giselinum, Modium, alios etiam, quos consultò prætereo, ita sæpè locutos fuisse: sed audi quæso, quid contrà tibi verissimè obiicere possum: ait tu. *Nam huiusmodi est, vt quamquam parum consistat, item ἄπορος καὶ ἀσύστατος sit, tamen in vtramque partem ex preceptis artis agitari potest. Huiusmodi est, vt agitari potest.* dixissem ego à mea Grammatica doctus *Huiusmodi est, vt parum consistat*, vel, *vt, quamquam parum consistat, agitari tamen possit.* nunc tu magnus Latinitatis assertor, emendatiq; sermonis in alio sagax indagator haud veritus es Prisciano caput, vt vulgò dicitur, fuste confringere, quomodo etiam geris te in peroratione istius præclari operis, cùm ais. *Nunc cùm viri docti, presertim Transalpini, non homines, sed cercopitheci tibi videntur, noli molestè ferre*, & reliqua. sed hæc errata vel properantiæ tuæ, qua in hac præclara censura te vsum fuisse affirmas, vel scriptori librario libenter condono, & alioquin indignum iudico, vt huiusmodi peccatorum in hac disputatione ratio habeatur; nam docti etiam viri, cuiusmodi non es tu, nec tui similes, dumtaxat erranti manu, oculoq;, non animo, solœcismos interdum admisisse deprehenduntur, atque ipse quidem Cicero, vt notat Pedianus, in prima contra Verrem actione, huic vitio obnoxius censeri potest. sic te, quamus ineruditissimus sis, hallucinabūdus, & somniculosus, non ignorantia, sed securitate quadā istis, atque aliis multis locis peccasse crediderim; itaque huiusmodi lapsiones tibi non imputo, stultius enim hæc, veluti crimina reprehendi, quàm committi arbitror, quæ dum mihi exprobras, minutissimum te, ac vilem aliquem compitaliciū magistellum esse haud dubiè ostendis. Vides hinc iam, Villiomare, quàm ex voto tibi cesserit iste tuus primus assaltus, etsi, vt in causa superiore, multùm tibi de meo iure concesserim, & quàm me compresseris, ac fregeris, vt insolenter admodum siue tu, siue alius tibi geminus gloriaris egregia illa epistola in Fabium Paulinum, facilè cognoscis, quod multò apertius adhuc intelliges, si, quæ sequuntur, diligenter considerabis; interim autem benè tibi habent principia, strenuè tibi prælusio acta est. Porrò non est, quòd huius, atque aliorum capitum prolixitatem excusem, quandoquidem, vt ait Seneca, pluribus verbis opus est, vt quæstionem soluas, quàm vt proponas.

CAPVT II.

POTVISSES pœana canere pro victoria, quam tibi fingis de Gellij loco, nisi iterum Martis aleam experiri voluisses. Ego inibi sum, vt declarem, cur à Theognide arcus dictus fuerit *φόρμιγξ ἄχορδος*, idque ostendo à lyrę forma arcus formę simili, ac propè pari: eam apertis verbis describo ex Germanico Arati interprete addito insuper Philostrati testimonio, vt res melius innotescat, idemq; vetere prouerbio confirmo, ac, quantum possum, vtriusque instrumenti similitudinem patefacio; addoq; cornua de lyra quandoq; vsurpari consueuisse, vnde etiam curua dicta fuerit ab Horatio; postremò auctarij loco Antonini Liberalis verba produco: hæc summa est, & *ἀνακεφαλαίωσις* illius capitis. tu fingis me colligere similitudinem lyræ cum arcu à materia, inq; eo perbellè, festiuèq; tibi iocari videris: vis dicam; ineptissimus es, plansum non feres: deinde aliud entymema comminisceris, quod nihi numquam in mentem venisset annum integrum cogitanti: *arcus est ex cornu, ergo cornua habet:* non te Ramus, non Ossatus, non Taleus, sat scio, istam logicam docuissent, tantum abest, vt eam ex Aristotele hauseris, nolo hic exagitare tuam inscitiamne dicam, an impudentiam? qui ea mihi tribuas, quæ nũquam scripsi, numquam somniaui, an potes negare hæc mea esse illic concepta verba? *Arcus forma, & similitudine cornua ipsa referre videtur, quę cum lyra quoque imitetur, de ea etiam cornua non absurdè dicta sunt:* quocirca syllogismum conficere debueras ex pronũciato Euclidis *τὰ τῷ αὐτῷ ἴσα καὶ ἀλλήλοις ἐστὶν ἴσα*; hoc pacto; Quæ rem eamdem similitudine referunt, inter se similia sunt, Arcus, & lyra cornua bouum, seu caprarum similitudine referunt, Ergo arcus, & lyra inter se similes sunt, vt si dicerem, Yuo Villiomarus, & quidam, quem modò nominare nolo, Gallico canterio similes sunt, ergo Yuo Villiomarus, & quidam, quem modò nominare nolo, inter se similes sunt. Scaliger certè, & quilibet alius bonis literis vel mediocriter tinctus haud aliter collegerit. Sed tu vel logices imperitia, vel maledicendi studio hæc non assequeris. Redeo ad syllogismum; eius prius lemma patet Euclidis, atque adeò cõmuni omnium sententia, posterioris priorem partem constitui prouerbio *ἡ αἲξ καθ' ἑαυθῆς τὰ κέρατα*, posteriorem Manilij testimonio confirmaui,

> *Et lyra deductis per cælum cornibus inter*
> *Sydera conspicitur.* necnon Horatij auctoritate,
> *Te canam magni Iouis, & Deorum*
> *Nuncium; curuęq; lyræ parentem,*

Vtramque Germanici, ac Philoſtrati verbis muniui, quibus omnibus abundè conficitur, quod oſtendendum initiò mihi propoſueram; hæc tu μωρόσοφε conuellere debueras, harumq; rationum robur infringere, ſi mentem habuiſſes; ſed expecto quid ſis reſponſurus ex tua logica; nam mea certè illam rationem argumentandi non agnoſcit; vnum tamen abs te interim ſcire vellem, vnde nam collegeris, exiſtimaſſe me tantam ſimilitudinem intercedere inter arcum & lyrã, vt ille ſemper (cùm ſemper dico, intelligo arcum vel tenſum, vel porrectum) φόρμιγξ ἄχορδος vocari poſsit; nam hoc ego nec dixi vnquam, nec verò ſomniaui; profer tabulas, recita verba? egregio ſanè artificio docti nomen aucuparis; abi hinc cum iſto tuo tam inſigni mendacio; ego inſcitiam, & vanitatem tuã ita detexiſſe contentus, epiphonematis illis, quæ tu paſsim adhibes magno apparatu, libenter abſtinebo, vt, quantùm fieri poteſt, tui diſsimilis appaream: volo autem appingere lyræ formam ex bouum cornibus confectæ, & arcum ſinuatum, quem ego ſemper animo geſsi, cum illa ſcribebam, vt vtriuſque inter ſe conformitatem expreſsius intuearis.



Sed quid tamen interim vetat lyram formare perſimilem cornibus pa tuli bouis, quo ſanè modo arcum ceſſantem commodiſsimè repreſentaret? neque enim ſemper eamdem prorſus figuram ipſam retinuiſſe credibile eſt; demum quæro ex te, quem

Mirati ſumus vnicum magiſtrum,
Summum Grammaticum, optimum Poëtam
Omnes ſoluere poſſe quæſtiones,

cur cenſeas lunatum potius arcum, quàm porrectum φόρμιγγα ἄχορδον à Theognide nuncupari, cùm ſagitta, quæ à iaculatore adhibetur, arcuiq; imponitur, neruos ipſos appoſitiſsimè referre videatur, quòd ſi Menelaus quiſpiam arcum intenderet, maior omninò ſimilitudo in-

ter

ter vtrumque instrumentum dignosceretur, nam certè illud Demetrij ἐπὶ τοῦ τῷ τόξῳ βάλλοντος, quod te in hanc illexit fraudem, non designat necessariò arcum inflexum, idq; non antea verum esse peruinces, quàm vniuersum Theognidis locum produxeris: itaque interim tàm liberum mihi est modestè negare, quàm tibi confidenter asserere; Strabo sanè cùm ponti Euxini figuram describeret, ne lectoris animũ suspensum haberet, disertè locutus est dicens ἀπεικάζουσι γοῦν τὸ σχῆμα τῆς περιμέτρου ταύτης ἐντεταμένῳ Σκυθικῷ τόξῳ, quod Ammianus quoque Marcellinus obseruauit libro 22. vt rem totam certius oculis subijceret: nunc in Theognidis obscuro sermone coniecturis vti necesse est, atq; ego quidem ad veritatẽ propius accessisse videri deberem; omninò enim verisimilius est arcũ cessantem φόρμιγγα ἄχορδον nuncupari, quàm sinuatum, & ad feriendum intentum, ob sagittas videlicet, quæ in arcu lunato neruos representarent: quod autem de Menelao dixi, est huiusmodi. Menelaus sagittariorum ex Armenia equitum dux, atque imperator fortissimus tria simul eodem tempore tela arcui aptasse fertur, vnaq; iaculatione vsus tria quæpiam petiisse ictu non fallente; auctor Zosimus ad finem libri secundi: eæ sagittæ valdè proximè accederent similitudine ad fides lyræ; itaque iure quæri potest, cur arcum intentum, & ad iaculandum paratum potius, quàm cessantem, & porrectum φόρμιγγα ἄχορδον vocauerit Græcus poëta: hunc tu nodum summo isto tuo, subtiliq; iudicio nullo negocio, sat scio, nobis explicabis.

CAPVT III.

VIDE quid possit odium, temeritas, contradicendi studium: ego Plinij famæ consultum volo, tu contrà inscitiæ notam non ipsi modò, verumetiam multæ, exquisitæq; eruditionis homini Iulio Solino aspergere non vereris, magis id adeò vt mihi obtrectes, quàm vt Mureti sententiæ ex animo faueas. Doceo ego ex Solino germanum sensum verborum Plinij manente vulgata scriptura, ita vt res omni prorsus difficultate careat, curq; ille tunc Aristotelem ducem sequi noluerit, probabilem sanè causam affero, qua in re non mehercule magis necesse fuit adfuisse me Plinio scribenti, quàm te excerpta vidisse, quę vndiq; ad ipsum afferebantur, vt in ordinem ab eo digererentur. Hic tecum paucis agam, Villiomare; Iulius Solinus de bonaso loquẽs affirmat ipsum cùm in fugam vertitur proluuio citi ventris fimum egerere per longitudinem trium iugerum per longas aspergines, quo dicto Plinij mentem interpretari voluisse constat; Yuo Villiomarus id negat ex Mureti sententia, iudicent studiosi vtri magis credendum sit,

at nouum (inquis) videri non debet Plinium in reddendo Aristotele, aut Theophrasto quandoq; peccare; fateor; sed manifesta, ac meridiana luce clariora esse oportet, quibus summos viros erroris conuincere nitimur; itaque ostendendum tibi est compertioribus argumentis id nunc Plinio accidisse, quod γενικῶς, ϗ καθόλυ pronunciasti; nam ego quidem sedulò, ac constanter nego; inficiationisq; auctorem Solinum laudo, in quo nec fidem, nec diligentiam, quòd ad hanc rem pertinet, deesse intelliges, si ad te paululùm redire volueris: neque verò est, quòd veteribus scriptoribus loquendi normam præfinias; ij etenim suo arbitratu sermonis formas variare sibi licere volunt, vnde tu scribendi leges deinde sumas, non illis vicissim præscribas; atque ego quidem exopto huius æmulari negligentiam potius, quàm tuam obscuram diligentiam. De Mœonia verò quòd addis, non erat tuum dissimulare id te à Camerte homine Italo admonitum adnotasse, quamquam debueras potius ipsius consilium amplecti, quo Solino patrocinatur aduersus quorumdam reprehensionem, quàm sedulò eidem obtrectandi ansam perquirere, sed tu hunc morbum habes neque elegantem, vt arbitror, neque vrbanum. Memineris autem quod ἐπινίκιον cecineris diatriba nona ad caput nonum libri secundi meorum Locorum controuersorum, & quàm de me contemptim locutus fueris, proprerea quòd *Fœmorigeram, Giganticidam, Celeripedem, Edericomum* Catullo tribuerim, quæ sunt Mureti verba in Galliambo; tu nunc Archimagister, literatorum coryphęe διωκόμενον ἀφοδεύειν penes Antonium Liberalem reperisti, cùm id extet in Antigoni Congerie Mirabilium Auscultationum: sed quis iste Antonius? an, quæso, Antoninum intelligis, quem ego suo nomine appello ex inscriptione impressorum codicum? an alium quempiam auctorem designas tibi vni cognitum, cæteris omnibus hactenus inauditum? erubuisti; sed pergam vlterius, vt istum tuum insolentem fastum magis adhuc conterā. Si tibi dixero, me, postquam libros Locorum controuers. diuulgaui, ad orā mei codicis locum Antigoni ex Aristotele castigasse, nō credes: at narro tibi, ita, vt tu deinde castigandum admonuisti, emendari debere vidisse etiam Hugolinum Martellium Episcopum Glandatensem sanè quidem ingenio homine eleganti, & rerum, literarumq; veterum perdoctum, quod plures ab eo scripti libri manifestò declarant; quamquam subdubitare interdum mihi contingit μόνωπος ne, an verò μόνεπος illic legi debeat ob codicum Aristotelis varietatem; & alioquin Ioannes ille Camers, qui tibi rerum, quas huic capiti consignasti, memoriam refricauit, μόναπιος legisse videtur, quomodo etiam vertit Theodorus Gaza apud Aristotelem De historia animaliū libro nono, ac non modò in voce hac concipienda discrepant vetera exemplaria,

ſed in *bonaſo* quoq; appellando nō conſentiunt, cùm alicubi *βονάσσος*, *βόννασος* alicubi ſcriptum reperiatur, vt tradit Conradus Geſnerus in capite huic animali dicato; neque verò valdè tutò poſsit quiſpiam pronunciare de veritate ſcripturæ iſtiuſmodi peregrinarum vocum, quæ non ita crebrò occurrunt in bonis auctoribus, velut etiam accidit in loco Theophraſti De ſtirpiū hiſtoria libro primo ſuper voce *ἴιγγον*, quam docti quidam viri in *νίτον* conuertendam eſſe putant. ſic Tacitō *Rheſcuporis*, qui fuit Rex Thraciæ, Dioni *Ρασχύποςις*, Volleio *Rhaſcupolis*, Suetonio *Thraſcypolis* nuncupatur; idem iudicium de Monte *Abnoba*, quem alij *Arnobam*, *Annibam* alij, alij *Arbouam*, Ptolemęus *Αννόβον* vocant; neque diſsimilis eſt ratio in *τῷ Pſittacen* Plinij libro 10. quod *ſittacen*, ſiue *ſitacen* per ſimplex t enunciari volunt Barbarus, & Gelenius: teli genus, quod *bebra* dicitur Vegetio, vt hactenus excuſi codices præferunt, alicubi *bebya*, *brebra* alibi exaratum ſpectatur. Tace igitur fatuele, &, cùm te imparem congreſſui ſentias, noli pertinaciter obluctari, ne vna, eademq; opera famę, dignitatiſq; periculum ſubeas; deniq; *γάνος ὤν*, *ὕπεικε*. Non exprobro hîc Marco Antonio Mureto plagium in caſtigatione Plinij codicis, quam integram de Geſnero hauſit, nam crebrò fit, vt imprudentes in eadem incidamus.

CAPVT IIII.

MIROR impudentiam tuam Villiomare; tune hîc plagij me inſimulare pergis, & iſto tuo ad calumniam exercitato ore meum inuentum Ioſepho Scaligero aſſerere audes, qui de hac re nihil quicquam prorſus cogitauit? dolet tibi, quòd Plutarchi ſcripturam optimo ſenſu retinuerim, Sigoniiq; iudicium firmiſsimis rationibus improbauerim; hoc tu in homine Italo ferre non potes, ad Gallum tranſtuliſti, qui tamen ſe Verona oriundum facit; ſed ſiue Gallus, ſiue Italus ille ſit, videamus quid ego, quid ille loquatur. De Plutarchi loco in Coriolano mihi non conuenit cum Sigonio, ego etenim receptam ſcripturam Σύλλας tueor, ille Σ'λος reſtituit contra fidem vulgatorum codicum: doceo deinde, cur ita malim ipſiuſmet Plutarchi vſus teſtimonio, quod Macrobij auctoritati oppono; idemq; ratione firmo, vt omnibus videre in promptu eſt; deniq; addo Feſti Pompeij verba in eamdem ſententiam: hæc tu rectiſsimè dici intelligebas, nihil habebas, quod eis obiiceres; plana omnia, certa, manifeſta, ipſa veritate veriora; quid faceres homo omnium Italo nomini infenſiſsimus? quomodo iſtud virus expromeres? occurrit tibi ſtatim tuus Scaliger homo eruditus, fateor, eruditorum princeps, &, vt vos eum appellare

conſueuiſtis,

confueuiftis, naturæ miraculum, illuftrifsimum ingeninm noftri æui, magnus filiarum Mnemofynes antiftes, flos vnicus noftri æui, genus Deorum, Mufarum delicium, æui noftri Phœnix, meritò cui doctior orbis Submifsis defert fafcibus imperium; adde etiam fi quod vis arrogantius, & eius faftui conuenientius epithetum; is hæc antea obferuauit fuis in Feftum annotationibus voce *Rauiliȩ*: quid ait illic Scaliger? Turnebus legebat *Quemadmodum à colore fufco Sullȩ*; atque hanc fuam lectionem Plutarchi teftimonio confirmabat *διὰ τὸ ἐρύθημα τραχὺ καὶ σποράδην ἀναμεμιγμένον τῇ λευκότητι*: hoc reprehendit Scaliger: primò, quia nulla necefsitate impellente difcedit à vulgata fcriptura, *quemadmodum à Cȩfiis Cȩfullȩ*: deinde, quia fufcus color non eft idem cum eo, qui ex rubro & albo mixtus eft; præterea, non primò Syllȩ cognomen hoc datum, erat enim eius familiȩ: tantùm ille; hoc eft furtum admittere? hinc ego plagij nomen mereo? hoc fi tu vocas clepere, nullam caufam video, cur non tibi actutum reftis gulam velet: quid enim reperitur in ifto tuo vanifsimo libro, quod non aliunde fumpferis, ac tua infcitia deprauaueris? detraxiffes tantùm cruftas, & emblemata, veteribufq; ollis nouas anfas faltem affinxiffes, quod ingeniofi fures facere confueuerunt: fed video cunctis in rebus confilium tibi deeffe. Vt autem intelligas, quàm meæ caufæ non diffidam, te ipfum iudicem poftulo, Villiomare, ad te prouoco, fed fanum, fed ira vacuum, fed paulò æquiorem Italo nomini, nam, vt nunc es, mente cares, ira æftuas, odio tranfuerfus abriperis, nec verum videre potes. Adfcripfiffem hîc vniuerfa Scaligeri verba, vt tuā impudentiam manifeftius detegerem, teq; falfi crimine prolatis tabulis redarguerem: fed nolui te imitari, qui vndiq; occafionem quæfiuifti libri molis exaugendæ, vt aliquid dixiffe videreris, mihiq; maiorem inuidiam conflares: extat Feftus, extant in eum Scaligeri annotationes: peto ab eruditis viris, vt locum ipfum adeant, deinde de vtroque noftrum fententiam ferant; dubitari non poteft, quid ab ipfis expectandum fit.

CAPVT V.

NON dubium eft, quin M. Tullius, fi in Homeri locum, quem tu Victorium fequutus refpexiffe putas, animi aciem intendit, illorum carminum fenfum minimè perceperit: ergò fubfiftere nos hîc oportet ob hominis auctoritatem, quem Grȩcas literas optimè calluiffe norunt omnes: conuertamus nos ad Homeri verfus, quos indicaui, quid caufȩ eft, cur aliter ftatuamus, atque ego olim fummo iure pronunciaui? tuȩ partes erant Villiomare, oftendere Græci poëtæ locum à me productum tàm conuenire menti Ciceronis, quàm vnum poëmation

mation ex poësi Petrarchę, nam ego abundè contrarium docui, quod tu non intelligere te fingis; atque vtinam aliquod Petrarchę epigrammation reperiretur, quod ad Ciceronis mentem illustrandam aliquo pacto pertineret, illud ego, non secus ac vos Ronsardi poëmatiis in re omninò pari pro testimonio vti quandoq; consueuistis, ad meam de Latinis scriptoribus sententiam cõstituendam perlibenter adhiberem: De optimo verò sene Petro Victorio triumphare tàm vnquam cogitaui, quàm Herculi clauam extorquere; nam verè Herculem in his mitioribus disciplinis ipsum appellauerim; sed tu omnia in deteriorem partem arripis, & quod eruditissimus ille vir, ac nunquam satis laudatus à veritatis eruendæ studioso absque vlla sui contumelia dictum accepit, nunc tu de ipsius fama, vt videri cupis, valdè sollicitus, ad hominis dedecus refers; at velim scias, plus me vni Victorio semper detulisse, quàm sexcentis tuis Scaligeris.

CAPVT VI.

OPORTERET hìc omnia me verba colligere, quæ in fatuos, ineruditos, impudentesq; iaci consueuerunt, adeò tui se similem hoc loco præbuisti, mi homo, sed rationibus ego, non contumeliis pugnare soleo; itaque audi. Negari non potest, quin Horatij locus dubitandi ansam porrigat illis saltem, qui in Varronis verba illîc à me citata quandoq; inciderint, pugnant enim aduersis frontibus, ac non Varro modò poëtæ consilio obsistit, sed ipsemet Horatius ad Augustum scribens pugnantia loqueretur: Tibullus etiam, Ouidius, Persius illi se aduersarios profitentur; frustrà igitur hìc me reprehendis, critice, quòd controuersiam excitarim; audiamus nunc rationem ἀντιλογίας tollendæ. *Verum* (inquam ego) *vt culpa hæc ab eruditissimo poeta vtcurque interim depellatur, fortasse dicendum erit*, & quæ sequuntur. vides ne dubitanter me loqui, nec quicquam certi, ac determinati pronunciare? idque vt magis adhuc intelligas, audi quæ deinde sequuntur. *Atque hunc quidem nodum, donec melior aliqua mihi ratio succurrat, ita dissoluo*. potuine modestius, verecundius rem totam absoluere, quam tu confidentissimè aggrederis infęlici exitu? atque adhuc tamen non pœnitet me consilij mei, namque huiuscemodi nodos hoc pacto explicandi ferè auctorem Seruium habeo ad illud Aeneid. 9.

Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum.

Ad quem locum sic ille ait. *Iuuencum autem secundum Romanas ceremonias dixit; Ioui enim de tauro non immolabatur, vt in tertio diximus, nisi cùm triumphi nomine sue, vel tauro fiebat, quod tamen ideò admissum est, quia non tantùm Ioui, sed aliis diis, qui bello pręsunt, sacrificabatur.*

In eo

In eo etiam me reprehendis, quòd existimasse videar, cùm sacrum fieret Genio, alios quoque deos aduocari consueuisse, quibus priuatim hostiæ suæ immolarentur, præsertim vere aduentante: Equidem si hoc affirmem, tametsi nihil prohibet, quominus verum esse posit, nullo auctore affirmem; itaque cunctanter, ac pedetentim quæstionis exitum tentaui diffidens rationi, quia teste carebat, imò iam Seruium testem dare possum loco superius indicato; sed certè Horatij versus, quos illic protuli,

Nunc & in vmbrosis Fauno decet immolare lucis
Seu poscat agna, siue malit hædo.

aliò respiciunt, quàm quò tibi falsò persuasisti; neque enim vnquam existimaui, cùm hoc dicit Horatius, intelligere se natali die Genio sacrificare velle, vt interea clàm eo agnum immolet Fauno, quasi etiam natale aliquod tunc celebraret: sed hac de causa illos versus adduxi, vt ostenderem aduentante vere Diis agrestibus sacra fieri consueuisse, puta Fauno, de quo Horatius *Nunc & in vmbrosis*. & reliqua. hoc ego adeò perspicuis verbis illic expresi, vt mirum sit eorum te sensum percipere non potuisse: verba mea sunt hæc, si meministi. *Fortasse dicendum erit, non sentire ipsum, neque hoc sibi velle, vt agnus, cuius illic meminerat, Genio mactetur, sed in honorem veris alicui Deo, puta Fauno, aut Zephyro, sicut Oda 4. libri 1. Nunc & in vmbrosis*. Eodem inscitiæ genere peccas, cùm me reprehendis de altero testimonio, quod ex eodem poëta adduco *Cras Genium mero Curabis, & porco bimestri Cum famulis operum solutis*. neque legisse videris mea verba eo in loco, quæ ipse tibi recitabo, vt desinas ineptire. *Nam ille alter* (inquam) *Cras Genium mero Curabis, & porco bimestri Cum famulis operum solutis, nullam prorsus difficultatem habet, cùm non de sacrificio, sed de epulo, & conuiuio loquatur Horatius, aliud enim omninò est Genium curare, aliud Genium piare, quod qui non intellexerũt, turpiter in eo exponendo lapsi sunt.* an tibi videor his verbis intellexisse *Curare Genium* esse natale celebrare? an potius eorum iudicium reprehendere voluisse, qui locum illum eo pacto interpretarentur? quàm ingratus es, qui me deceas, quòd vestratis Galli nomini pepercerim, cùm illa scriberem; nam Lambinus illic ita commentatur. *Cur non dixit Placabis, vt in epistola ad Pisones -vinoq; diurno Placari Genius festis impunè diebus; aut Piabis, vt epistola ad Augustum, Siluanum lacte piabant Floribus, & vino Genium? an aliud est Geniũ curare, aliud Placare, aut Piare? quod mihi non videtur*. Sed, vt video, Lambino quamuis homini Gallo non admodum faues, & de ipsius in Plautum, Horatiumq; commentariis extat iudicium tuum in quadam epistola tua ad Iustum Lipsium non ab amico animo profectum, ac vicissim idem Lipsius in Sa-

tyra Menippęa eumdem ridiculè traducit, dum Plautum in morbo cubare ait, nescio vbi, & à quo nuper malè acceptum: sed omittamus hæc, nam Lipsij ingenium, atque eruditionē valde ego quidem suspicio, summisque laudibus in cęlum fero. Tu nodum soluis, vt dicas; Palilibus, & Terminalibus auctore Ouidio, equus, & agna immolari consueuit, ergo Genio agnum mactare potuit Horatius. Respondeo, hunc tuum syllogismum non efficere necessariò, quod tibi probādum sumpsisti, ἔνστασις enim quæstionem non soluit, vt notum est; atque isthoc quidem pacto concludere liceret Veneris Paphiæ aram sanguine maculari licuisse, quam tamen sanguinis expertem vocat Catullus, & de qua sic extat apud Virgilium.

Ipsa Paphum sublimis abit, sedesq; reuisit
Læta suas, vbi templum illi, centumq; Sabæo
Thure calent aræ, sertisq; recentibus halant.

eademque ratione ad εὐσεβῶν βωμὸν in Delo insula victimas immolari consueuisse, quod dixit Ouidius epistola, qua Cydippe respondet Acontio; negant omnes, nominatim Laërtius libro 8. ex Latinis Cato De liberis educandis, & Cloatjus Verus citante Macrobio: sed ille idem Ouidius, qui ritum contempsisse visus est, non inanem causam de Quinquatruum festo adduxit hanc persimilem adductę à Plutarcho de Terminalibus,

Sanguine prima vacat nec, fas concurrere ferro.
Causa, quòd est illa nata Minerua die.

sic etiam frustra Priapus apud Catullum sileri iuberet, quòd villicus illi interdum hirco, aut capella faceret.

Sanguine hanc etiam mihi, sed tacebitis, aram
Barbatus linit hirculus, cornipesq; capella.

de quo ex tritu sacrorum dixit Virgilius.

Sinum lactis, & hæc tibi liba Priape quotannis
Expectare sat est. itaque illa tua ratio, à poëtis ne iuratis quidem fidem exigendam esse, liberat Grammaticos infinitis propemodum laboribus, quos ipsos haurire necesse est in locis impeditissimis enodandis: hos omnes te magistro nullo negocio quilibet posthac explicare poterit hac ratione.

Nec tamen vt testes; mos est audire poëtas. & hac;
Exit in immensum fœcunda licentia vatum,
Obligat historica nec sua verba fide.

O mirificum poëtarum interpretem: quantò nos rectius, atque ingeniosius, qui ab arte, non à casu ἀντιλογίας tollendæ rationem quęsiuimus Macrobium sequuti, qui Anchisem Delo discedentem taurum mactasse Apollini scribit ex Virgilij sententia, propterea quod ad aliam

aram id fecerit, non ad Apollinis; idem de Theseo dicere possumus, qui Delum appulsus Apollini immolauit: sed profectò Plutarchi ratio verissima censeri debet, qui in Numa scripserit Termino & antea, & suo ipsius Plutarchi æuo animalia sacrificare in more positum fuisse; Numæ verò ætate incruentum huiusmodi sacrificium fuisse, quoniam quidem ille docuisset decere Terminum cęde purum esse, vtpote qui pacis custos, & iustitiæ testis esset. igitur priora tempora spectarunt illi alij, quos nominaui, ætatem suam respexit Horatius illo sermone, & sanè ritus quosdam sacrificandi nonnihil tempore procedente fuisse variatos norunt omnes, ac, præter cęteros, docet Arnobius libro secūdo, ad quam mentem cecinisse opinor Horatium Od. 2. Epod.

Vel agna festis cæsa Terminalibus. nisi si dicamus victimas cædi consueuisse in honorem alicujus dei, & arã nihilominus cæde non pollui, quod ex his Taciti verbis colligo libri 2. Historiarum. *Hostiæ vt quisque vouisset, mares deliguntur. Certissima fides hædorum; fibris sanguinem arę offundere vetitum; precibus, & igne puro altaria adolentur, nec vllis imbribus quamquam in aperto madescunt*. Tria restant adhuc, quæ tacitè mihi obiicere videris in tribus tuis animaduersionibus ad vnum meum caput. Dico ego Horatium non leui culpæ affinem videri, quòd victima Genio faciat; *affinem videri*, ais tu, *centies in his libris vsurpasti*: ego non dinumeraui locos, in quibus id loquendi genus vsurpauerim: hoc scio, me, quoties ita locutus sui, Latinè, purèq; locutum fuisse, sed tu vanissimus censeri debes, qui istiusmodi puerilia consectaris, præsertim cùm me varietate in eloquendo vsum fuisse non glorier, quod qui fecerunt, meritò notari potuerunt; sinamus igitur Strebęum cum Perionio de istiusmodi rebus digladiari; sed (vt intelligo) parens tuus hoc genus reprehensionis te docuit, à quo propterea ægrè admodum abstinere vales; is porrò in Commentariis ad Theophrasti libros De Plantis Theodorum Gazam insimulat, qui verbo *sortiri* vel vsque ad fastidium vtatur, perinde ac sermonis varietas multum valeat ad auctorum mentem, consiliumq; expressius percipiendum: sed nę ego ineptus sum, qui hæc pluribus prosequor, cùm possim tibi obiicere pudendum peccatum, quod quomodo purgare valeas, nondum video: tua verba. *Ais Horatium non leui culpę affinem videri, quòd victima Genio faciat, cui res tantùm diuina fiebat*: quis te ita loquentem ferat? *rem diuinam facere* tibi valet *abstinere à cæde animantium*; at nos existimabamus, tàm posse victima res diuina fieri, quàm vino, lacte, aut alia huiusmodi re citra sanguinis fusionem: quòd si vlla differentia inter duo illa loquendi genera constitui debet, certè *rem diuinam facere* hostiam mactare valet, non à cęde animalium abstinere, vt tu putasti; Macrobium testem dabo Saturn. 3. capite 6. ibi. *Neque*

de nihilo est, quòd cùm Delon venit Aeneas, nulla ab eo cæsa est hostia, nisi cùm proficisceretur, Apollini, & Neptuno res diuina facta est: quid verò intellexerit Macrobius, cùm dixit, *Apollini, & Neptunno res diuina facta est,* ipsemet paulò post declarat, inquiens. *At verò cùm taurum mox immolat Apollini, & Neptuno, apud aliã vtique aram factum intelligimus.* Sed & hoc quoque prætereo, & ad aliam tuam reprehensionem accedo. De eo insuper insimulas me, quòd non plures, neque antiquiores auctores Plutarcho, & Dionysio protulerim, cùm docere vellem Palilibus, ac Terminalibus nihil animatum sacrificari moris fuisse: hoc quid sit, non satis intelligo: an tibi Plutarchus, & Dionysius idonei auctores non videntur, quibus vel iniuratis credas? tu is es Villiomare, cui vel testibus adhibitis aliquid affirmanti fides minimè sit adhibenda, vel quòd semper eos aduersus te producas, vel quòd non bona fide cites, atque interim tamen iubeo te adire diatribam tuã ad sextum caput libri noni meorum Locorum controuersorum, vbi fastidire videris plures auctoritates citari ad rem aliquam confirmandam. Deniq; stomacharis, quod in re futili commendanda tempus consumpserim; sed hoc peccatum, ne ignores, cum Censorino mihi commune est, cuius proœmium in librum De die natali si legisses, omni culpa me penitus liberasses: iterum dico, nę ego stultus sum, qui tuas ineptias pluribus prosequor; verbum igitur non amplius addam.

CAPVT IX.

Video te ad risum valde pronum esse, vnde stultitiam tuam non leui argumento colligere soleo, ea porrò tùm sæpe aliunde toto fermè tuo libro deprehenditur, tùm maximè hoc capite nullo negocio spectatur, cùm me de Herculis hasta disputantem reprehendis, qua in re te nihil prorsus vidisse facilè demonstrabo. Sophocles in Trachiniis Herculi λόγχας tribuit, quæ vox in communi sermone valet hastas; Hercules igitur hasta, siue hastis armatus à Sophocle describitur, quod nusquam alibi extare putauit Petrus Victorius; itaq; suspicatus fuit dictionem λόγχην penes illum Tragicum pro sagittis accipi debere: hinc oritur duplex quæstio, vna quid valeat vox λόγχη apud Sophoclem, altera, an vetus aliquis scriptor extet, qui Herculi hastam tribuerit, atque hanc ego in primis mihi tractandam sumpsi omisso interim Sophoclis loco, aut eo certè leniter, ac perfunctoriè examinato: ostendo igitur Hesiodum, & Ioan. Tzetzem Herculi hastam quandoque tribuisse, vel ab aliis ei tributam docuisse, quod tu non negas: ergo abundè effeci, quòd efficiendum illo capite mihi proposueram: Superest locus Sophoclis, quem ego strictim, atque aliud propè agens

attingo; sed tu cuncta quomodolibet dicta nullo discrimine arripis, ne mihi obtrectãdi occasio tibi desit, ille tamẽ locus Sophoclis quominus de hasta rectè possit accipi, nihil prohibet, idq; in primis suadere videtur vocis notio, à qua, nisi quid nobis aliter persuadeat, discedere non oportet; sed (inquis tu) *qui λόγχας illic pro hastis accepit, tantùm abest, vt plures hastas Herculi attribuat, vt vna hasta cum claua non modò onerosa gestanti, sed & inutilis ad pugnam futura sit:* ac paulò post subnectis. *Sophocles simpliciter describit Herculem nihil cogitantem, & ad pugnam minimè animum adiicientem sic Thebis profectum, vt non alio, quàm quotidiano habitu eum nobis depingat.* Fugit te ratio, Villiomare, neque meminisse videris, quàm sæpè plurium pro vnius numero vtantur poëtæ; hoc quis ignorat? deinde ego docui quasdam hastas reperiri, quæ sagittarum vicem præstarent, cuiusmodi nos Zagaglie, aut Corsesche nuncupamus, Latinè tu Velitares dixeris: hæ non erant adeò graues, neque huiusmodi impedimentum Herculi præsertim attulissent, vt non plures ille aliis etiam armis instructus gestare potuisset, nam de Romano milite sic ait Varro De vita Populi Romani libro 3. *Qui gladijs cincti sine scuto cũ binis gesis essent.* & Virg. Aen. 8. *duo quisque alpina coruscant Gæsa manu*, hoc.n.dicit, *duas hastas.* idẽ Aen. 1.

Bina manu lato crispans hastilia ferro. iterum lib. 12.

Huic Messapus, vti læua duo fortè gerebat
Lenta leuis cursu præfixa hastilia ferro,
Horum vnum certo contorquens dirigit ictu.

T. Liuius. *Hic miles tripedalem parmam habet, & in dextra hastas, quibus eminus vtitur, gladio Hispanensi est cinctus.* qui locus ex Polybio expressus videtur. Vegetius de re militari libro primo, capite Quo armorũ genere vsi sunt antiqui, de pilo (vt videtur) verba faciens inquit *Barbari autem scutati pedites, his præcipuè vtuntur, quas bebras vocant, & binas etiam, ac ternas in prælijs portant.* denique Leo Imperator libro, quem confecit De bellico apparatu, qua parte De armatura equestrium, & peditum loquitur, inscitiam tuam manifestò coarguit. Herculem porrò nil tale cogitantem, & ad pugnam minimè animum adiicientem cum Acheloo manum conseruisse, falsum itidem puto, neque verò Sophocli vllis vmquam machinationibus istud extorquebis, quomodo enim euades, quod illic Chorus ait Ἀλλ' ἐπὶ τᾶνδ' ἄρ' ἄκοιτιν Ἀμφίγυοι κατέβαν πρὸ γάμων τινές. Πάμπληκτα παγκόνιτα τ' ἐξ- Ηλθον ἄεθλ' ἀγώνων. & quæ deinceps ibi sequũtur? Denique pro coronide appingis auream obseruatiunculam super voce λόγχη, quam ferrum hastæ propriè significare admones: hoc si me tibi debere vis, debebo libenter bona cum venia Iulij Pollucis, de quo id primum didici; hoc enim pacto futurum spero, vt æquiorem te post

hac experiar, quem propterea non admoneo de figura poëtica *συνεκδοχῇ*, ne te rudem esse detegam etiam illarum rerum, quas si ignorarent pueri, vapularent; tantùm dico vocem illam penes Græcum poëtam pro lancea sumpsisse Victoriũ,& Lalamantium homines eruditos, tui dissimiles: sed & Festus Põpeius *lancea*,inquit, *à Græco dicta, quam illi λόγχην vocant*. Licet Varro Hispanicum verbum esse prodiderit, vt refert Gellius. Leo quoque Imperator hastam veteres *λόγχην* nominasse scribit libro superius indicato: denique Hercules in prælijs hasta vsus fuit, vnde lanceæ Herculanæ dicuntur, quarum meminit Trebellius Pollio in Claudio: Iulius Capitolinus in Pertinace etiam macheras Herculaneas nominat; I nunc, & ista tua confidentia affirmare aude *λόγχην* non esse *δόρυ*, aut *ἔγχος* simpliciter, sed ferrum hastæ: quòd si fortè (diuinandum est enim, quandoquidem persæpe vnum dicis, & aliud intelligi vis) iccirco istam differentiam inter duo illa vocabula constituis, vt ostendas *δόρυ* procul iaci non consueuisse, præter multa alia, quæ in hanc rem adducere possem, hoc Strabonis testimonium statim in os tibi impingam. *διττὴ ἡ τῶν δοράτων χρῆσις, ἡ μὲν, ἐκ χειρὸς, ἡ δ᾽ ὡς παλτοῖς, καθάπερ καὶ ὁ κοντὸς ἀμφοτέρας τὰς χρείας ἀποδίδωσι: καὶ γὰρ συστάδην χρώμεθα, καὶ κοντοβολοῦντες, ὅπερ καὶ ἡ σάρισσα δύναται, καὶ ὁ ὑσσός*, & reliqua. Si tamen de me scire velis, quid ego tandem censeam de illo Sophoclis loco, eiusdem Tragici verbis ex eadem fabula tibi respondebo, vnde meam sententiam liquidò cognosces *Τότ᾽ ἦν χερὸς, ἦν δ᾽ ἦν Τόξων πάταγος, ταυρῶν Τ᾽ ἀνάμιγδα κεράτων.* hoc tamen non repugnat iis, quæ superius dicta sunt.

CAPVT X.

HIc tu Ciceroni Græca vertendi normam præscribis: potes huius artis præcepta formare, vt habeamus nouam doctrinam De optimo genere interpretandi, cuius quasi gustum quemdam nobis præbes hac tua duodecima diatriba, in qua maluisti notam inscitiæ M. Tullio nullo suo merito inustam tueri, quàm Titium intactum dimittere; sed oportuit te singillatim meis rationibus respondere, quas si diligentius considerasses, & meam sententiam tecum reputasses, potuisses tuæ expositioni supersedere, nec tempus in re non ita controuersa otiosè consumere. Altera tua diatriba ad hoc idem meum caput non tàm otiosa est, quàm ridicula: & ignorasse videris Cyro Xenophonteo imperante viuentium regum apud Persas adorationem fermè institutam fuisse, quam tamen rem penes Græcum illum scriptorem literis consignatam reperies *Κύρ. παιδ.* lib. 8. fuit autem is Cyrus Cambysę filius,

ad quem

ad quem respexit Callisthenes: igitur ex adoratione illa Persarum, vel ex Cyri iamiam morituri sermone perperam accepto Anaxarchus, quiq; cum eo sentiebant, Alexandro προσκυνεῖν decernere videbantur, quibus respondet Callisthenes illic apud Arrianum: potest autem esse repetitum exemplum ex Xenophontis narratione, perindeq; vsurpatum, ac verum omninò fuerit, quod illic scriptum extat, vt frustra Thomyris mentio abs te inferatur; aut etiam Arrianus ex historię fide loquitur; nam Cyrum illum ad exemplum confictum fuisse me non ignorasse mea verba hæc non obscurè demonstrant. *Xenophon optimi principis ideam nobis spectandam proponit.* Cyrus autem imperare cepit circiter Olympiadem 56. huius vitam ad imaginem iusti regni effinxit deinde Xenophon, qui floruit circiter Olympiadem 94.

CAPVT XI.

A PLINIO, Solino, & Cicerone statim ad Virgilium transis, veterisque Grammatici sententiam mordicus tueris, vt meam videlicet more tuo vituperes: sed vt ius ferendi suffragij tibi libenter concedimus, ita Iudicem te non accipimus ista mente, ista doctrina præditum, quamquam non pro Senatore te, non pro Decemuiro stlitibus iudicandis agnoscere possumus hoc in loco, sed pro declamatore potius, & tabula de foro, adeò nihil aliud affers, quàm stultam garrulitatem, & inanem ἀδολεσχίαν: sed iam comminus congrediamur, & (vt dicitur) manu ad manum, vt quantum quisque nostrûm valeat, studiosus lector propius inspicere possit. Virgilius canit. *Sedet; æternúmque sedebit Infœlix Theseus.* item alibi *quid Thesea magnum, Quid memorem Alcidem?* Hyginus hanc ἀντιλογίαν dissoluebat, vt diceret, poëtam, si vixisset, fuisse locum emendaturum expunctis illis verbis *sedet, ęternúmque sedebit,* cuius auctoritatem nullo iudicio fretus, nulla bona ratione permotus sequutus deinde fuit Yuo Villiomarus, qui vir, & quantus? stant igitur pro vna parte Hyginus, & Villiomarus; pro altera pugnant Seruius, & Cælius Rhodiginus, nam de me nihil loquor, causa pugnandi fabula à Suida relata, vel, si maius, ab Aristophanis interprete, in quo maius est pondus, maior auctoritas: quid hîc statuant eruditi? Seruius cum Hygino committitur, dubius Mars, incerta alea: Rhodiginus cum Villiomaro componitur, Hercules cum Antheo; nam ad id, quod declamatoriè affers de Thesei nate apud inferos præcepta iustitiæ dictante, nil magnopere necesse habeo respondere, ne quod in te valdè reprehendendum iudico, volens, sciensq; admittam: hoc tantùm dixerim, hinc te parùm omninò versatum esse tùm in Græcis, tùm in Latinis poëtis manifestò deprehendi,

hendi, in quibus huius fermè generis exempla offenduntur quamplurima. neque verò ignobilis adeò videri tibi debet pars illa corporis, vt nulla de ea ratio haberi debuerit, siquidem fortes qui sunt, μελάμπυγες, molles, & effœminatos πυγάργους καὶ λευκοπύγους inde nuncupatos scimus; puellæ etiam καλλίπυγοι in honore habitæ sunt, & καλλίπυγος ἀφροδίτη; vrbs etiam in Ionia fuisse perhibetur, cui à podice, seu clunibus nomen esset impositum, ea vocabatur πύγελα; cuius ita meminit Suida. πόλις ἐν τῇ Ἰωνίᾳ τὰ πύγελα. λαβεῖν δὲ τὸ ὄνομα, ἐπεὶ τῶν μετ' Ἀγαμέμνονος τινες νοσήσαντες τὰς πυγὰς ἐνταῦθα κατέμειναν: idem scribit Strabo lib. 14. sed tamen illic apud inferos non Thesei nates, sed ipse Phlegias illa iustitiæ præcepta dictat; certè non minus hoc ego asseuerare possum, quàm tu illud alterum, est enim amphibologia in illo sermone, vt Seruius notat. In eo porrò, quòd me à Rhodigino monitum scribis de Suidæ loco, miror te tàm impudenter mentiri, cùm penes Rhodiginum illic nulla prorsus extet Suidæ mentio; nam de Aristophanis interprete minimè mihi laborandum esse censeo, cùm, quòd volui, haud inani teste aliundè arcessito muniuerim. Iam quòd ex Panyasi vetere poëta compertum habeas, nō γλουτοῦ μέρος hæsisse saxo, sed contrà saxū τῷ γλουτῷ προσπλῶσθαι; nil prorsus moueor, cùm poëtis modò hanc, modò aliam huic diuersā, ac repugnantem historiam, si ita eis visum fuerit, absque reprehensione sequi liceat, quod, præter exempla, quæ multa in hanc rem afferri possent, nuper docuit Henricus Stephanus in Commentario De Criticis veteribus Græcis, & Latinis; docuerat antea Ianus Parrhasius in suis Cōmentariis ad illud Claudiani *-tornos inuisa iugales Alecto temone ligat* super carmine hoc

Odit & ipse pater Pluton, odere sorores Tartareæ, idem quoque fecerat Marcus Antonius Muretus Variar. Lection. lib. 6. cap. 11. vbi de Helenę sydere loquitur, necnon in scholiis ad Tibullum: Petrus quoque Nannius hoc ipsum annotauit Miscellaneorum lib. 6. habes ad omnia Villiomare; itaque viue, & vale.

CAPVT XII.

IN Horatij loco, quem ego tenui mea expositione illustrare studui, laborarunt docti viri, neque tamen in verum ipsius sensum penetrare potuerunt, Turnebus, inquam, Lambinus, Cęsareus, Xylander, Dousa, alij item non pauci, quos hic consultò prætereo, ne longum faciam: hi laborem Herculeum exanclarunt, ego in eodem negocio versatus operam lusi, disertus fui sine controuersia: cùm re vera nihil haberes, quod hîc reprehenderes, noluisti tamen seriem capitum inter-

rumpere;

rumpere; itaq; oportuit te occasionem alicunde quærere stili distringendi, malæq; istius tuæ mentis declarandæ: ne dubita, omnes iam te probè norunt, ac, quamquam personam istam induisti, non potes tamen latere, quominus agnoscaris: Iudicium tuum de Aeschylo non respondet sententiæ magni Scaligeri, cuius hæc sunt in Historico. *Primus Aeschylus, non (vt putant) Euripides in scenam tragicam ebriorum intulit spectaculum: in Cabiris enim introducit Iasonis comites ebrios; ipse fortasse haud multò minus, cùm illa scriberet.* si horum meminisses, facilè tibi fuisset existimare verba illa penes Aeschylũ ab aliquo ebriolo pronunciari: sed oportet te tui similem vbique esse; denique iubes in Aeschyli versu vel ex ipsa Gesneri interpretatione legi κατακεχειρισμένους ἀντὶ τοῦ κατακεχειρισμένους: pulchra sanè admonitio, perinde ac non eo pacto, κατακεχειρισμένοι inquam, scriptum extet in Stobæi ex Gesneri editione vulgatis codicibus: verius multò hîc ego in te vsurpauerim ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον: sed heus bone, non κατακεχειρισμένους, neque κατακεχειρισμένους scripsit Aeschylus, sed vel κατακεχειρισμένοι, vel κατακεχειρισμένοι, aut etiam, si maius, κατακλινόμενοι; præcesserat enim ἐστεφανωμένοι: tu solœcismum nõ agnoscis ἐστεφανωμένοι, προυκείμεθα οὐδ᾽ ἂν κατακεχειρισμένους: plaude, ac triumpha cum ista tua grammatica.

CAPVT XIII.

AN non maximam difficultatem in re aliqua versari dicemus, cùm de ea dubitant docti viri, neque inde satis se explicare queunt? *Inhibere imperium* idem tibi valet, quod Budæo, Lambino, ac Turnebo, nimirum *Exercere, adhibere, retinere, vsurpare*: sed non omnes vobis assentiuntur: quocirca patere æquo animo me super re dubia meam sententiam pronunciare: dico igitur haud prorsus incommodè legi posse *Imbibere* hoc sensu: nullo pacto magistri præceptiones discipulus hauriet, si magister primus vapulet: qui in præceptorem vsque adeò contumax est, vt ipsi etiam manus violentas inferat, numquam eius admonitionibus parebit: tua ratio, cùm ais, *etiam si magister vapulet, hoc non impediet, quin, si velit discipulus, imbibat imperium*, in vniuersum falsa est, nec exemplum Lini, & Herculis satis conficit, quod ipse velles; nam certè negari non potest, quin magistri contemptus plurimam licentiam discipulo præbeat; quo sensu rectè hypostigmen post *Imperium* collocabimus, nam *magister* ad alteram clausulam pertinet, cùm pronomen *hic* priorem illam sustentet, quod ad puerum illum referri debet, de quo tunc loquebatur Lydus, nam Lydi verba sunt, non Phyloxeni, atque ita in meis codicibus reponi

velim,

velim, quod tu peccatum, quamquam totus oculeus es, minimè depre hendisti: sed quod dixi Lini, & Herculis exemplum meæ sententię non obesse, ita verum est, vt eam potius magnopere constituat, tuam mirificè peruertat, nam quantũ profecerit ille in cythara pulsanda, quàmq; Lini præceptiones penitus imbiberit, omnes norunt, neque enim Hercules ab illo artificio vllam vmquam laudem consequutus fuit, quin de ipso sic cecinit Statius in Hercule Surrentino

-socius tibi grande sonabit
Alcides, tensoq; modos imitabitur arcu.

neque etiam huic eidem sententiæ quicquam officit, quod de Hercule Musagete traditum est, quandoquidem huius cognominis ratio ab Eumene Rhetore ea proditur, *quia mutuis operibus & prẽmiis iuuari, ornariq; deberent, Musarum quies defensione Herculis, & virtus Herculis voce Musarum:* quamobrem haud iniuria pronunciauit Lydus discipulum nequaquam imperium magistri imbibere posse, si magister ipse prior vapulet.

CAPVT XV.

QVASI dedita opera quæ ego volo, tu non vis, quæ ego nolo, ea cupis; apud Plautum *vaciuas* mordicus retines, postquam me *votiuas* amplexum fuisse cognouisti, aliter proculdubio facturus, si mihi illud alterum placere intellexisses. at causam reddis, cur mea sententia tibi non probetur, *Numquam efficies* (inquis) *vt Latinum sit, si aliquid tibi voueri vis, ita loqui: non faciam, nisi mihi illud sit votiuum, hoc est, nisi mihi illud voueas.* quid hîc tibi velis equidem tàm scio, quàm te esse natum: hoc scio, Plautum *votiuas aures* appellare, quæ ex voto histrionum affectæ sint; *aures votiuę si sunt*, hoc est ex voto nostro, quemadmodum nos cupimus affectæ; neque aliter vocẽ illam vsurpat Sidonius in exemplis à me citatis. *Perspicuè me officij votiui compotem fecit:* hoc est officij, quod optabam; sic epistola 25. *Hic apice votiuo si potiretur*: hoc est apice, quem votis expetebar, & reliqua eodem modo: Apuleius octaua Milesia. *Deamq; votiuo suscipiens hospitio:* quod dixerat Lucianus τὴν θεὸν μάλα ἀσμένως τῇ οἰκίᾳ ὑπεδέξατο: sic etiam reperias apud Latinum Pacatum in Panegyrico. *Hos ille Phalaris in amicis habebat, hi in oculis erant; nec iniuria, à quibus tot simul votiua veniebant.* facit etiam mecum Andreas Alciatus in Lexico Plautinarum vocum, nec non Philippus Beroaldus ad verba Apulei in libris Locorum controuersorum à me citata, vbi ita ille scriptum reliquit, *Ad votiuum conspectum*] *ad optatum, & votis expetitum spectaculum: votiuus enim hoc loco significatur, voto desideratus:* & reliqua.

D itaque

itaque desine hariolari. Contendis prętereà auctorem Elegiæ *Missus ad Eoas* non esse Cornelium Gallum, sed Maximianum quendam barbarum, & ignobilem poëtam, deque hac obseruatione adeò tibi places, vt alibi etiam eam iteraueris, videlicet ne silentio periret, quasi verò Lilius Gregorius Gyraldus multò antè non detexerit fraudem impostorum, qui Elegias illas Cornelio Gallo tribuerint, cùm Maximianum quemdam auctorem agnoscant; illum (inquam) Maximianum, cuius & insignis grammaticæ nugator Alexander nugas irridet; idem etiam antea fecerat Ianus Parrhasius, idem postea fecit Franciscus Floridus, atque adeò Martinus del Ryo in Commentariis ad Senecę Hyppolitum, neque non item Ianus Dousa in Pręcidaneis ad Petronium: Theodorus etiam Pulmannus de hac re nos admonuit epistola ad Lectorem, quæ illis Elegiis præfigitur in codicibus Lugduni impressis ab Antonio Gryphio anno salutis 1573. in quibus codicibus ita legas, *Maximiani liber, qui falsò hactenus sub nomine Cn. Cornelij Galli editus est:* & in margine ita, *Veteris libri inscriptio Maximiani liber: vide Gyraldi dialogum quartum de poetis Latinis*; sed hoc garrulitati, atque ostentationi tuæ facilè condono; illud certè dissimulare non debeo, quod de Petro Crinito plusquàm mendacissimè pronunciasti. *Sed Crinitus tuus* (inquis) *de Maximiano Cornelium Gallum fecit; ideo non dubium est, eum esse Cornelium Gallum:* an vir ille eruditus adeò iudicio non valuit, vt ex parum eleganti locutionis forma, sententiarumque frigiditate absque vllo veteris exemplaris auxilio, quod nactus deinde fuit Gyraldus, non intelligeret alium omninò auctorem fuisse illarum Elegiarum, quàm qui vulgò crederetur? minimè verò, sunt enim hæc ipsius verba, vt norunt omnes. *Leguntur ętate nostra Elegiarum libri sub nomine Cornelij Galli, qua in re facilè est imponere imperitis hominibus, qui autem paulò diligentius antiquitatem obseruarunt, nihil minus censebunt, quàm vt hęc referenda sint ad poëtam Gallum.* an verba hæc illius esse tibi videntur, qui de Maximiano Cornelium Gallum fecerit? sed haud nunc primò incipis erudito illi viro, quantum potes, obtrectari, nam & in Commentariis Manilianis de eo non æqua censes, cùm nugatorem, mendacem, confidentemq ipsum appellas; verùm hæc aliàs fortasse agentur: at dices, cur ergo Cornelium Gallum nominâsti, non Maximianum potius, si rem totam probè tenebas? dicam: Primùm Maximianus ille, cuius verum nomen legitur in inscriptione illarum Elegiarum ex fide manu descriptorum codicum, Cornelius Gallus Maximianus vocabatur; iam qui Cornelius Gallus Maximianus vocatur, potest etiam Cornelius Gallus rectè nuncupari; ac donec Asinium non addidero, minimè peccasse videri debeo: Asinij porrò Elegiæ cuiusdam fragmentum hîc Florentię nuper diuulgauit Aldus Manutius

eius elegiæ initium est hoc,

Non fuit Arsacidum tanti expugnare Seleucem,

Italaq; vltori signa referre Ioui.

Deinde in Plauti gratiam caput illud confeceram, & de vocabulo *votiuas* disputationem præcipuè instituerã, tulit res, vt obiter mihi citandum esset illud distichon ex Elegia, quæ in excusis libris Cornelio Gallo ascribitur, feci id simpliciter illis eisdem auctoribus; neque enim locum exposcere iudicaui, vt pluribus disputaretur de auctore illarum Elegiarum, & cupiebam statim intelligi locum, quem citarem. tu voluisses diuerti me ad istas vestras amœnitates, & quicquid vmquam legi, audiui, statim effundere: nobis Italis non est hic mos tàm multa simul confertim inculcandi, sed consueuimus nos iudicium adhibere voluntate, non ignorantia plura interdum prætereuntes; nec enim tempus, resq; videtur exposcere, vt si alicuius auctoris, de quo non ita liquidò constet, testimonium citandum sit, statim benè longa disputatio excitetur super ea re, omisso interim argumento, quod in manibus erat, quomodo enim huiusmodi πάρεργα, quæ vos in deliciis habetis, erudito lectori, & aliquo iudicio prædito stomachum non moueant? quis hæc firmo animo ferat, ac non statim peluim poscat? hæc si tibi adeò placent, ames ea licet sine me riuali, nullum vltra verbum, aut inanem operam sumo.

CAPVT XVI.

ORACVLVM tuum ex coquina, non ex cortina editum, *Vellere capillos ornamenti est aliquando:* hæc enim propemodum summa est ineptissimæ tuæ diatribæ. Censes tu tantus Criticus idem omninò esse *vellere pilos*, quod *vellere capillos?* noui equidem ad ornatum pertinuisse pilos mento, superciliis, toro denique corpore educere, quod depilatrices, quiq; huiusmodi munere fungebantur, volsellis, dropace, psilothro, aut Salamandra efficere consueuerunt, quin & pumicem, viscum, resinamq; adhibere interdum moris fuit; at *vellere capillos*, aut *comam* aliud omninò valere semper existimaui his veterum scriptorum testimoniis persuasus: Martialis libro secundo in Selium quendam.

Quòd dextra pectus pulsat, & comam vellit.

& libro quinto de Herotione puella.

Pectusq; pulsans, pariter & comam vellens.

cui persimile est, quod ait Stratilax apud Plautum Truculento.

Iam ego istos fictos, compositos cincinnos tuos

Vnguentatos vsque ex cerebro exuellam;

neque etiam facilè inuenias qui voce *capilli* vtatur pro *pilis*, cùm de hominibus fit sermo, nam de brutis quidem vsurpauit Apuleius Metamor. 3. & Gellius libro 11. c. 1. necnon Macrobius Saturn. lib. 5. c. 11. tibi imposuit Græcum verbum κατασπᾶν, quod & ad ornatum, & ad quæstionem, quæ de aliquo habetur, interdum referri constat, sed alia prorsus ratio est in Latina locutione. Illud Anacreontis πώγωνα ἐκτετιλμένος haud secus Artemonis molliciem notat, ac illud Virgilij de Aenea ex Iarbæ persona.

Et nunc ille Paris cum semiuiro comitatu
Mæonia mentum mitra, crinemq; madentem
Subnixus, rapto potitur. quoniamq; (vt ait Phocylides)
Ἄρσεσιν οὐκ ἐπέοικε κόμη, χλιδαὶ δὲ γυναιξί.

iccirco illi ab Anacreonte vitio vertitur; non est igitur simpliciter contumeliæ, vt tu putas, sed κατά τι, hoc est ad viros tantummodo relatum dedecoris loco habetur; si vniuersa de hac re verba apud Atheneum perlegeris, peccatum tuum statim agnosces, quomodo etiam in altero Luciani loco toto cœlo te aberrasse intelliges, si plusculum diligentius rem totam considerare volueris: nam πώγωνα τίλλει χειρῶν ὑπ' ὠλέναις, iocus est alumni ad Celeripedem Podalirij filium podagram, qua discruciabatur, inficiantem, cùm admonere vellet, vt cursu malum dissimularet, aut pateretur sibi remedium adhiberi; sed, vt sit aliquando culturæ, erit etiam interdum iniuriæ, doloris, ac pœnæ, veluti apud Homerum Odyss. x.

Ἑζόμενοι δὲ κατ' αὖθι γόων, τίλλοντό τε χαίτας.

& in Propertij carmine, nam hoc me frustrà non putare clamant poëtæ verba, quę illic statim sequuntur,

Sępè illam immundis passa est habitare tenebris;
Vilem ieiunæ sępè negauit aquam.
Iupiter Antyopę nusquam succurris habenti
Tot mala: corrumpit dura cathena manus.

quæ cùm ita sint, affirmo rursus legi debere *vulsit*, cùm persæpè animaduerterim tùm Græcos, tùm Latinos poëtas NON DISSIMILI LOCVTIONE IN RE PARI vsos fuisse: grandioribus literis sex illa verba describenda curaui, vt intelligeres non putasse me *capillo trahere* idem prorsus valere, quod *capillum vellere*, quemadmodum existimasse me impudentissimè affirmas: sed dixi NON DISSIMILEM LOCVTIONEM IN RE PARI: quod simile, parq; est, dialecticè, non est idem, sed eius nonnullam imaginem refert: quamquam *scindere capillos* in illo Ouidij

Ipsa meos scindas licet imperiosa capillos.

& *capillum conscindere* in illo Terentij -*tùm ipsam capillo conscidit*,

idem prorſus videri poteſt cum *τῷ vellere capillos* Propertij, nam ſic interpretatur M. Tullius lib. 3. Tuſcul. quæſt. *Hinc ille Agamemnon Homericus* (inquit) *& idem Attianus*

Scindens dolore identidem intonſam comam,

in quo facetum illud Bionis, perinde ſtultiſſimum regem in luctu capillum ſibi euellere, quaſi caluitio mæror leuaretur. Capillos rumpere, vellere, ſcindere, torquere, laniare, à fronte rapere, vngue petere, quempiam cedere tortis capillis, crinibus trahere, capillis rapere, ducere, capillo de curru deripere, omnes hæ locutiones EAMDEM PROPEMODVM REM EXPRIMVNT: hoc tu negare audebis hominum homo confidentiſsime, mendaciſsime, periuriſsime? Ad Tibulli verſum quod attinet

Vre meum potius flamma caput, & pete ferro.

ſic habe. *capillus*, & *caput* diſtant re, & nomine, qui igitur *vrit capillos*, haud continuò *vrit caput*. Dionyſius ſuperior cultros tonſorios metuens candente carbone ſibi adurebat capillum; an iccirco eum caput ſibi vſiſſe dicemus? tibi quidem aliter concludere integrum non eſt, qui diſertè affirmas idem ſibi velle Tibullum, quod Propertius: ſed nos non capimus iſtam tuam logicam; capillus à cinifloni- bus vritur ſine noxa; candentes laminę capiti non admouentur abſq; magno vitæ periculo, id tibi experiri licet, vt de re tota certius poſthac pronunciare valeas, & alioquin haud prorſus indignus es laminis, rota, vngulis, equuleo: ſi Tibulli mentem planius adhuc, atque apertius noſſe cupis, Iuſti Lipſij Saturnalia adire potes, aut Iacobi Durantij Varia, quæ inſcribuntur, vbi adnotatam reperies formulam iuramenti in auctoratione gladiatorum. *Vri, vinciri, verberari, ferroq; necari.* ad quod alluſiſſe poëtam mihi quoque ſit veriſimile; ſicut & alibi ipſum ad idem reſpexiſſe puto, nimirum illic, vbi ait,

At mihi ſeruandam credas, non ſæua recuſo
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.

ſed illud alterum, cuius ſuperius memini, ex hoc Plauti loco lucē capit *At pol te, ſi hic ſapiat ſenex, Atra pix agitet apud carnificem, ac tuo capiti illuceat.* de cultu, atque ornamento aliter omninò loqui boni auctores conſueuerunt: Ouidius certè de Arte amandi lib. 1. inquit.

Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos;
Nec tua mordaci pumice crura teras.
Compoſitum diſcrimen erit; diſcrimina lauda;
Torſerit igne comam; torte capille places.

Sed tu, frutex, cuncta eodem ordine habes.

CA-

CAPVT XIX.

SI vniuerſum Dioſcoridis caput, vbi de aluminis vi, ac facultate agitur, diligenter tecum expendiſſes, facilè intelligere potuiſſes aluminis naturam *χαυςικὴν* videri, nam quod ego addidi ipſam eſſe *ἀφλογιςὸν*, fuit mea interpretatio ex Ariſtotelis *χαυςῶν* diſtinctione. Pari inſcitia te meum conſiliũ non percepiſſe video, dum iterum Dioſcoridis teſtimonium laudo, qui ſcripſerit faciem oui albumine inunctam non aduri; vnde tu mirifica iſta tua dialectica conficis cyclaminum, aquam ſamaræ, vlmi, & alia, quæ faciem à coctura ſolis tutam præſtant, ædificia ab igne vendicare poſſe; atqui ego, ſi meminiſti, non comprobaui meam ſententiam hac Dioſcoridis auctoritate, ſed Plinij teſtimonio vſus ſui, qui dixerit, *Lignum ouo perfuſum non ardere, ac ne veſtem quidem contactam aduri:* addidi deinde; *Et Dioſcorides* (ſunt autem hæc mea verba) *quod & ipſum huc aliquo pacto confert, tradit faciem oui albumine inunctam ſole non aduri:* expende tecũ paulumper, dialectice, verba illa, *Quod & ipſum huc aliquo pacto confert:* deinde concludeſyllogiſmum ex tua logica. Non vis *albumen* ſimpliciter dici abſque adiuncto *oui*; hoc ipſe quoque facilè concellerim, ſi exempla auctorum, qui ad manus noſtras peruenerunt, inſpiciamus: ſed non video ego, cur Quadrigarius ſuo quodam iure illo pacto loqui non potuerit, quomodo etiam *luteum* ſimpliciter quandoq; dicimus nulla *oui* mentione adhibita; ac fortaſſe non abſurdè dici poteſt Quadrigarium alicubi ſuperius de hac re mentionem feciſſe, vnde repetenda ſit vox *oui*, quomodo eamdem repeti oportere non negabis in his Plinij verbis. *aiunt & vulnera candido glutinari, calculoſq; pelli.* præterea quid opus eſt addere *oui*, cùm *albumen* omne ſit *oui*? Poſtremum illud eſt, quod ais, ex noſtro alumine ſaxeo nullum illitum fieri potuiſſe; qua in re peto abs te Villiomare, an vnquam videris calcem, aut gypſum, aut nitrum aqua liquatum, horum omnium poteſtas eſt ſaxeæ fermè duritiei, & tamen ex eis illitum fieri nemo ignorat. Diodorus Siculus lib. quinto de Celtis, *τιτάνυ ἀποπλύματι σμῶτες τὰς τρίχας συνεχῶς καὶ ἀπὸ τῶ μετώπων ἐπὶ τὴν κορυφὴν καὶ τοὺς τένοντας ἀνασπῶσιν, ἵνα διαφανεῖς ὦσι, ὥς τε τὴν πρόσοψιν αὐτῶν φαίνεσθαι σατύροις καὶ πᾶσιν ἐοικυῖαν.* quin etiã de auro *illinere* dictũ inuenies ab Horatio.

> *-aurum veſtibus illitum Mirata.*

& ab Ouidio Metam. 11.

> *Neue malè optato maneat circumillitus auro.*

rurſus de Medicamine faciei.

> *Culta placent, auro ſublimia tecta linuntur.*

& à Seneca iuniore in Hyppolito.

Remouete famulæ purpuram, atque auro illitas Vestes.

necnon à Calphurnio ecloga 7.

Balteus en gemmis, en illita porticus auro.

sic Sulpitius Seuerus de vita beati Martini. *diademate ex gemmis, auroq; redimitus, calceis auro illitis, sereno ore, lęta facie, vt nihil minus, quàm diabolus putaretur, oranti in cellula astitit.* Plinius in Panegyrico hamos cibis illitos dixit: *nonne vt regum, ita Cęsarum munera illitos cibis hamos, opertos preda laqueos æmulabantur?* quid quod de cinere ipso vnguere vsurpauit Cato? *Mulieres nostrę cinere capillum vngitabant, vt rutilus esset crinis.* sed profectò non discedis à tua natura, atque instituto, dum fingis ea te non videre, quæ apertissima sunt; nã quomodo, quæso, dissimulare potes hæc mea verba. *Qua sola ratione vulgatam Gellij scripturam aliquo pacto tueri possumus, quòd si neque hec quidem satisfecerit, inuestiganda ratio est mendi tollendi; lociq; perpurgandi; ac mihi quidem,* & reliqua. rursus paucis interiectis, *quam scripturam deinceps librorum impressores poterunt tutò (si modò à vulgata recedere placuerit) me auctore in suis codicibus reponere.* hinc, si liuor abs te abfuisset, facilè deprehendere poteras, me non nimium coniecturæ meæ fidere, sed potius existimare vulgatam lectionem bono sensu retineri posse, ad quam magis adhuc confirmandam, stabileindamq; adduxi Ammiani testimonium ex libro 20. neque enim dubito, quin, cùm Lynceis oculis meos libros inspexeris, incideris in epistolam ad Lectorem, in qua hęc Ammiani verba produxi. *Persę assiduè malleolos, atque incendiaria tela torquentes laborabant incassum, ea re, quòd humectis scortis, & centonibus erant opertæ materiæ plures, aliæ vnctæ alumine diligenter, vt ignis per eas laberetur innoxius.* Appianus, qui Syllæ factum illud narrat in Mithridatico, nihil quicquam affert, quod propositam quæstionem iuuare queat.

CAPVT XX.

DVOBVS in locis verba Lucilij à Nonio proferuntur, semel in *Tricones*, iterum in *Lentum*, in *Tricones* ita, *Tricones morosi, & ad reddendum duri. Lucillius Satyr. lib. 1. Lucius Cotta*, & reliqua. hìc Nonius interpretatur *soluere nulli lentus*, id est, *facilis*: ego autem de hoc loco disputo cõtra Mureti sententiam, non de illo altero, quod tu putasti, nam Muretus hunc sibi examinandum proposuit Var. Lect. lib. 3. c. 18. vt illic perspicuè apparet, quocirca nõ potes argumentari ab inscriptione *De varia significatione sermonum*, cùm ea sit *De compendiosa doctrina*: sed nec *Triconis* notio impedimento est huic veteris grammatici

tici expositioni, cùm ea vox, quamquam propriè illos significet, qui morosi sunt, & ad reddendum duri, illic tamen apud Lucillium pro eis accipi videatur, qui fœneratitiam pecuniam mutuo sumunt, quamuis & generatim pro hominibus sordidis eam sumpserit Iulius Capitolinus in Vero, videtur tamen expressius denotare homines mercimoniis quibusdam distrahendis occupatos, quos nos vulgari sermone *trecconi* appellamus; sed vt *Tricones Tricones* sint, potuit Crassi pater alio ingenio præditus esse, quàm quo omnes illius ordinis homines præditi esse consueuerunt, sic Thais Terentiana longè admodum distat à moribus aliarum meretricularum, quod quia intelligebam, Lucillij versus produxi ex Mureti, ac Turnebi castigationibus, non quomodo eosdem emendandos censuit Hadrianus Iunius, nimirum *Paneti ἀντὶ τοῦ Paceni*, siue *Peracer*, ne filij scilicet splendor patris sordibus opponeretur: hinc autem constat errasse Nonium in *Lentum*, quod & ipse quoque fateris, & ex meo sensu Lucillij mentem interpretaris, nam quòd deinde *ἀναμφισβήτητον* esse prædicas, nihil minus: *ἀναμφισβήτητον ἄπυρόν ἐστι*, quotiescunque verbo nomen aliquod iungitur, quod eius notionem augeat; id quoties fit, huiusmodi nomen *ἐπίθετον* esse debet, cuius rei plura exempla notata reperias in Lambini commentariis ad illud Horatij

Negligens ne qua populus laboret,
Parce priuatus nimium cauere.

itaque dicere debuisset Lucillius, *Cotta magnus trico numarius lentus nulli soluit*, hoc est, in eo est lentus, quòd nulli soluit: modò cùm dixerit, *magnus fuit trico numarius, nulli fuit lentus soluere*, intelligis exponi debere *Lentus ad soluendum*, hoc est *recrastinator*, quomodo ipse docui, ac loquitur Horatius *-durus componere versus*. &, *piger scribendi ferre laborem*: sic Propertius

Ah nimium faciles aurem præbere puellę,

idest faciles ad præbendas aures: & Silius

-parcusq; lacessere Martem. id est, parcus ad lacessendum, in eo parcus, quòd minimè lacessit, cunctator denique, quo nomine M. Fabius vocatus est: Ammianus lib. 21. de Constantio loquens. *Eratq; super his adimere facilis, quę donabat*. Cęterùm Varronis, Festi, Gellij peccata non tu primus deprehendisti, sed habuisti doctos viros, qui se tibi recti itineris ignaro duces præbuerunt, inter quos Hadrianum Turnebum in primis numerare licet; sed quid vocaui rectum iter, quod tu illis præeuntibus fueris ingressus? equidem non dubito, quin probè senserit Varro de *Minerua paluda*, tu, ac Turnebus pessime *ψιτογένειαν* somniaueritis: verùm hic modestè, tu confidentissimè de re tota loqueris; Varronemq; hallucinatum esse planè, ac perspicuè affirmare

non

non vereris: & fuisti tàm fungus, vt non animaduerteris Mineruam τριτογένειαν dici, non quòd Tritone palude progenita fuerit, sed quoniam ad illam paludem nata sit, aut ibi sanctißimè coleretur, longè autem absunt *palude*, & *ad paludem*, hoc est *propè paludem* gigni. sic dixit Cicero lib.3. De nat. deorũ, *Quos omnes Erebo, & Nocte natos ferunt.* Hesiodus Theogonia Ἐκ χάεος δ' ἔρεβός τε μέλαινα. Catullus verò, cùm Dianam non Delia quidem oliua natam, sed ad eam à Latona partus doloribus grauata expositam fuisse vellet significare, inquit

Quam mater propè Doliam
Deposuit oliuam. *Cernuus* est calciamenti genus, auctore Festo; tu Lucilli versum citas, ad quem vis Festum respexisse, licet eius non meminerit, sed vt ipsum eius meminisse tibi concedamus, nõ efficis propterea, vt *cernuus* illic non sit soccus sine solo, velut Isidorus interpretatur: neque item rectè diuinasti de vocabulo *Aperta* penes eundem Grammaticum, qua etiam in re minimè tibi constas, nam, si meministi, ἀπερωτὴν illic interpretatus fuisti, hoc est ὑπερωτὴν, quòd Apollo transmarinus deus sit, & peregrinus: denique vnde con ieceris Gellij *maroplacidas* ex Sallustij *mare placido* conformatas fuisse, nondum scire potui, nam ille quidem simpliciter ait. *Prosumiæ, vel gesoretæ, vel orioles, cattæ, scaphæ, pontones, nucluciæ, mediæ, phaseli, parones, myoparones, lyntres, capulica, maroplacidę, cidarum, ratarię, catascopium*, frustrà igitur censuræ tuę imperium in tres illos optimos Grammaticos exercuisti; & dum alios insimulare pergis, omnium reprehensioni te obnoxium præbes.

CAPVT XXII.

QVAERO ex te, Villiomare hypercritice, an censeas locos Senecę probè à me fuisse restitutos; si negas, rationem expecto; si fateris, non frustrà glorior: sed certè negas, ais enim; *Vterque sine ope veteris codicis emendari non potest, cùm sit mutilus.* cautius egisses, si dixisses *Non potuit*, innuisses etenim me ex aliquo exemplari emendationes illas hausisse, quas deinde nulla eius mentione facta coniecturæ meę tribuerim; vide, quàm nihil eorum dicas, quæ velles, aut quę te velle oporteret: at cur sine ope veteris codicis emendari non possunt? certè vox *stultorum* voci *studiorum* proxima est, & sanè mens, consiliumq; Senecę fermè cogebat nos eo modo locum illum castigare: alteri lucem præfert Plinius, vt exiguo labore hac re defungi potuerim, etsi non video, cur tantoperè ingenij mei vires extenuare debueris, cùm Scaliger, homo & ipse, in Festo ea præstiterit, quæ ne vniuersa quidem Gallorum, Germanorumq; studiosorum natio efficere vm-

quam potuisset, neque enim ignoras, quàm is propè accesserit ad scripturam Farnesiani codicis; furtum diceres; nisi illius ingenij diuinitatem nolles. Quid hoc est aliud, Villiomare, quàm nigrę loliginis succus, & ærugo mera?

CAPVT XXIIII.

MALE sit istis lexicis, quæ nobis peccandi ansam prębent in interpretatione Græcarum vocum; superius λόγχην hastam, seu lanceam reddidi illis auctoribus, nunc eorumdem fidem sequutus γρῖφος verriculum verti pessimo, vt tu vis, consilio, cùm λόγχη sit ferrũ hastæ, γρῖφος autem nassam valeat te auctore, cui etiam acceptã ferre debemus aureã hanc interpretationem verborũ Plutarchi. *Neque enim qui aratro velit iaculari, ac boue venari leporem, infortunatus est, neque nassis, & verriculis ceruos captanti vllus malus genius, sed impossibilia tentantibus stultitia, & peruersitas aduersantur.* sed considera, quæso, pædagoge, an mutatis verbis eadem sententia maneat, si dicatur. *stultitia & peruersitas eum ad tentanda impossibilia adigunt:* quod est, *ipse aggreditur, & conatur, atque animum adiicit ad res impossibiles stultitia, & peruersitate ingenij ductus:* ego disputabam de mente, consilioq. Plutarchi, tu quęstionem ad verba traducis: atqui ea non magis fęliciter tibi cedet in verbo *Captare*, nam quòd redundanter, atque ociosè additum putas *Frustrà*, cùm huius particulæ vis verbo *Captare* insit, frustrà es, nec meminisse videris huius Ouidij carminis de Arte amãdi.

Quàm benè, quòd frustrà captatis arbore pomis
Tantalus in media garrulus aret aqua.

quam sententiam ita expresserat Horatius.

Tantalus à Labris sitiens fugientia captat
Flumina. & ipsemet Ouidius alibi
Quęrit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus; hoc illi garrula lingua dedit.

est enim *captare* quandoq; *capere desiderare*, & *conari*; quemadmodum autem non omnes, qui aliquid cupiunt, aut efficere conantur, id semper frustrà cupiunt, aut conãtur, sic, qui aliquid captant, modò frustrà, modò nõ frustrà id captant; Ouidius epistola Acontij ad Cydippẽ.

Sit dubium possisnè capi, captabere certè,
Exitus in Dis est, sed capiere tamen.

Plautus Amphytruone.

Tu, si me impudicitię captas, capere non potes.

sed agam potius exemplis tecum, qui tanquam ratione vaces, nulla potes ratione peruinci. Ouidius Metam. 3.

Credule

Credulè quid frustrà simulacria fugacia captas? & in Ibin;
Hic erat, & ramos frustrà qui captet, & vndas.
Apuleius apologia prima. *Vlysses fumum terra sua mergentem compluribus annis è litore prospectans, frustrà captauit.* ergo culpa hæc cum Ouidio, & Apuleio mihi communis est, quam nec Erasmus quoque vitare voluit, ait enim in prouerbio *Reti ventos venari. Aut qui rem inanem inaniter captant.* eodem mihi precio, quo Erasmo sal perhibetur.

CAPVT XXV.

TV perge pudorem tuum, vt libet, prostituere; ego interim tibi narro, me non alia Orphei Argonautica habere, quàm quæ vestrates typographi nobis suppeditarunt, in eis porrò ita scriptũ reperi.

Καὶ χαροπὸν ποτὶ χεῦμα γεγηθότες ἕλξατε νῆα
Ἀργὼ πελέκησιν τ᾽ ἰδὲ δρυσὶν γομφωθεῖσαν.

idem etiam canit Valerius Flaccus,

Moliri hunc puppim iubet, & demittere ferro
Robora. nam robur, & quercum pro vna eademq; arbore promiscuè vsurpari non à poëtis modò, sed & ab oratoribus quoque nemo sanus dubitarit. Dixi etiam equum durateum ex querna materia fabricatum fuisse ad illud Maronis respiciens, de quo nil prorsus tibi suboluit,

Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cæloq; educere iussit.

ac non multò post, cùm de Laocoonte fit sermo,

-sacrum qui cuspide robur
Læserit, & tergo sceleratam intorserit hastam.

quod etiam Petronius Arbiter sequutus fuit dicens,

Cùm, Delio præfante, cæsi vertices
Idæ trahuntur, scissaq; in molem cadunt
Robora, minacem quæ figurarent equum.

ac non multò inferius,

Roborea moles spirat alieno metu.

πίτυν esse interdum πελέκην, ac vicissim, non inuitus concedam, sed eam ἐλάτην nonnumquam significare haud facilè dabo, ac sanè mirum videri debet, cur Ennius πελέκην *abiegnam trabem* verterit in illo.

Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes.

noti sunt enim versus Euripidis, vnde illi expressi sunt: certè Ioannes Brodæus id se clàm esse ingenuè confitetur: Porrò *linea texta* iungi na-

uium carinis mirũ tibi uideri non debet, si id nõ absolutè, sed κατά τι, mali scilicet ope, atque auxilio fieri accipias, quomodo eadem malo iungi dicuntur, cùm antennis potius alligentur, quæ demum anquinis ad malum constringuntur, sic dixit Plautus Mostellaria.

Verùm si posthac me pedem latum modò

Scies imposuisse in vndam. pro vnda nauem intelligens, quæ demum vnda superuehitur: sic & Oratores quoque ab his amœnitatibus minimè interdum abhorrere videntur, itaque Mamertinus, vt putatur, in Panegyrico Maximiano dicto *ventum implere nauim* dixit, cùm vela potius dicendum fuisset. *Neque enim cùm Reip. nauem secundus à puppi flatus impleret, salutarem manum gubernaculis addidisti:* quod tamen Virgilius simpliciter extulit *& auræ*

Vela vocant, tumidoq; inflatur carbasus Austro:

fuit tamen cùm crederem, legi debere apud Mamertinum *impelleret*, quomodo lintea impelli vento dixit Horatius.

Impellunt animæ lintea Thraciæ.

sed & pedem veli carinæ συνεκδοχικῶς sumptæ iungi nil prorsus vetat: ac solent interdum poëtæ huiusmodi figuras tanquam scitamenta quædam suis scriptionibus adhibere, ne idiotarum more loquantur: quid nunc mussare audebis homo stolidissime, nec minus ridicule, quàm Libanus ille, cuius dictum initio prioris tuę diatribæ vsurpasti? satisne tuam inscitiam prodidi? abi, abi, & simulatricem quære, quæ tantam dementiam expiet.

ROBERTI

ROBERTI TITII BVRGENSIS

ASSERTIONIS LIBER SECVNDVS.

CAPVT II.

ADSCRIPSERAM ego Athenęi verba sine vlla Latina interpretatione; quod in illis meis libris persæpè aliàs feceram; cùmq; is, qui editioni pręerat, videret alibi multis in locis Græca verba Latinè fuisse reddita, petiit à me, num placeret hîc quoque Latinam conuersionem attexi; respondi, placere: is igitur ex interprete hac quidem in parte non valdè bono verba illa me insció statim appinxit, quę cum tuis libenter commutare velim; sed audin; nisi aliquod certius tuæ doctrinæ specimen nobis edas, non possumus fateri Græcę linguę te peritissimum esse, nam mentem, consiliumq; Athenęi prior detexit Iacobus Delechampius, cùm ipsius verba ita Latinè extulit. *Sybaritæ cum prorsus animum ad voluptatem, & luxum applicuissent, legem promulgarunt, antè annum fœminę vt ad festas epulas inuitarentur, & qui accerserent conuiuaturi, & sacrificaturi tanto spacio temporis de apparatu satagerent, quò vestes, & ornatum reliquum accitis conuiuis pro dignitate suppeditarent.* quæ recta est procul dubio illius loci sententia; neque prorsus necesse videtur verba scriptoris legere & quæ antè, & quæ post, cùm ea nihil plus nobis polliceantur, quàm locus ipse à me recitatus prestare possit. Tibi verò gratiam habeo singularem, quòd hîc me de eo non reprehenderis, de quo aliàs non tacuisti: de eo (inquam) quòd ipsi Athenæo verba tribuerim, quæ sunt Phylarchi apud Athenæum, nam ne ab hoc quidem reprehensionis genere te abstinere consueuisse norunt omnes, quicunque alteram diatribam tuam legerint ad caput quintum libri secundi meorum Locor. controuers. vbi Athænei verba esse dixi, quæ in codicibus Athenęi reperiuntur, licet ea ex Posidonio Apamiensi referantur: hæc tu errata vocas, & quidem non dissimulanda: piget me tuas ociositates pluribus prosequi.

CA-

CAPVT III.

MISERET me, distędetq; impudentiæ tuæ. *Lucretius* (inquis) *τὸ πάσχειν elegantissimè vertit fungi; idq; non vno in loco vsurpauit; tu contrà audacter fungi reponis*: an ego audacter? audi patienter, an fortè agnoscas mea verba. *quòd si meum super hac re consilium aperire licet (cur autem non liceat, in hoc præsertim scriptionis genere?) malim legere pungitur*, & cætera. rursus ad finem illius capitis. *atque hęc mea pura puta coniectura est, cui si vetusti alicuius exemplaris auctoritas accesserit, non verear opinionem in certissimam, exploratissimamq; sententiam conuertere: interim tamen lectoris iudicium esto*. potuisti ne in magis aperto mendacio deprehendi? tu, cùm incipis impudenter agere, numquam desinis; egregièq; personam semel susceptam ad finem vsque tueris memor illius Horatiani præcepti

-seruetur ad imum, Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.

nam statim subdis: *versum illius poetæ contra te adducis*,

At facere, & fungi, nisi corpus, nulla potest res.

ego memini me scripsisse *Ibi tamen*

At facere, & fungi, nisi corpus, nulla potest res. ferè admiserim Fingi.

Tu vis verbum *πάσχειν* elegantissimè verti *Fungi*, atqui hoc est, de quo nunc disputatur; doce igitur elegantissimè ita verti, nam ego quidem inficior. *τὸ πάσχειν* sanè valere interdum *τὸ πράττειν* non ignoro; & hoc Græcorum exemplo vsurparetur *Pati* pro *Fungi*, non è contra *Fungi*, quod est *πράττειν*, pro *Pati*, quod est *πάσχειν*: atque in hac quidem re ita Græci loqui consueuerunt, vt Gellij studio, atque opera cognoscitur, *τὸ δρώμενον ἢ πάσχον σῶμα ἐστὶ*, quo in sermone *πάσχειν* non est *fungi*, vt vides: *pati* tamen pro *fungi*, siue *facere* vsurpasse videtur Horatius, ibi.

Audax omnia perpeti

Gens humana ruit per vetitum nefas.

quamuis de huius loci intellectu non ita facilè pronunciari possit: quo circa redeo ad Lucretij versum, in quo rectius fortasse dicetur *Fungi* simpliciter *παθητικῶς* poni, quo pacto locutus etiam est Plautus Trinummo dicens,

Non ætate, verùm ingenio adipiscitur sapientia.

quod verbum haud semel vsurpauit etiam Tacitus eodem modo: videorne tibi satis ad omnia respondisse, dignitatemq; meam sarctam tectam aduersus tuam calumniam conseruasse?

CA-

CAPVT V.

QVAM rem planus ille penes Athenęum exaggerare voluit, vt Athenienſibus Mithridatis metum incuteret, eamdem Ciceronem quoque verbis aliquantum extollere in animum induxiſſe omninò ſit veriſimile, itaque certāt ex æquo rationes hincinde, quamquam non ita impudenter, vt tu videri vis, mentitus fuit Athenio illo ſermone, idque certius, atque exploratius ex Appiano cognoſcere poſſumus in Mitrhidatico, dum inquit, *Συνεμάχουν δὲ βασιλεῖς καὶ δυνάσται, ὅ τε Ἀρμένιος καὶ Σκυθῶν τῶν περὶ τὸν Πόντον, ἐπί τε Μαιῶτιδα λίμνην, καὶ ἀπὸ ἐκείνης ἐπὶ τὸν Θρᾴκιον Βόσπορον περιπλέοντι, ἔς τε Ῥωμαίων δυνατοὺς στασιάζοντας ἀλλήλοις τότε μάλιστα.* & quæ deinceps illic ſequuntur: Strabo quoque lib. 12. Mithridatici regni fines quaquauerſus latiſsimos fuiſſe docet, ac duas quidem & viginti nationes, quarum etiam linguas percalluit, regem illum ſub ditione habuiſſe notum eſt. prætereo iam verba in Senatu Romano à Pelopida facta, quoniam eiuſdem iactantiæ cum illis Athenionis plena eſſe tibi videri poſſunt; ſumma hæc ſit *αὐξητικῶς* de Mithridatis imperio ea Ciceronem prodidiſſe, quæ alij quoque in ſimili re exponenda commemorarunt; ſed iam dico non *αὐξητικῶς*, verùm ex hiſtoriæ fide *ex Baſtarnis* illic apud M. Tullium à me fuiſſe reſtitutum, nam militarunt quidem Baſtarnæ in Mithridatis exercitu, neque huius magni, potentiſq; regis nomen fuit illis temporibus in Europa inauditum, ſicut idem Appianus docet his verbis *Σύμμαχοι αὐτῷ προσεγίγνοντο χωρὶς τῆς προτέρας δυνάμεως, Χάλυβες, Ἀρμένιοι, Σκύθαι, Ταυροί, Ἀχαιοί, Ἡνίοχοι, Λευκόσυροι, καὶ ὅσοι περὶ Θερμώδοντα ποταμὸν γῆν ἔχουσι τῶν Ἀμαζόνων λεγομένην. τοσαῦτα μὲν ἐπὶ τοῖς προτέροις αὐτῷ περὶ τὴν Ἀσίαν προσεγίγνετο. περάσαντι δ᾽ ἐς τὴν Εὐρώπην, Σαυροματῶν οἵ τε Βασίλειοι, καὶ Ἰάζυγες, καὶ Κόραλλοι, καὶ Θρᾳκῶν ὅσα γένη, παρὰ τὸν Ἴστρον, ἢ Ῥοδόπην, ἢ τὸν Αἷμον οἰκοῦσι, καὶ ἐπὶ τοῖσδε Βαστέρναι τὸ ἀλκιμώτατον αὐτῶν γένος.* mitto plura huius auctoris verba referre, quæ ad emendationem meam conſtituendam non minimum conducunt, ea illic, ſi cui cordi fuerint, inſpici poterunt; atque hoc pacto firmiſsimis rationibus coniecturas tuas vanas, & commentitias refutaſſe contentus ſum. Quòd Bactrianos, & Baſtarnas ſupra Pontum collocaui, non ſine locupletiſsimo teſte feci, ac de Baſtarnis quidem ſic inquit Ouidius Triſt. lib. 2.

Hactenus Euxini pars eſt Romana ſiniſtri,
Proxima Baſtarnę, Sauromatęq; tenent.

verumtamen tu homo acutiſsimus animaduertiſti eos non ſupra Pon-

tum

tum, sed longè supra Pontum incolere, quasi verò, qui longè supra Pontum habitant, supra Pontum non habitent: egregiè; Dij boni quanti est sapere: extremum illud addam. Ioannes Scoppa, & Franciscus Luisinus eo ingenio, eaq; eruditione pręditi fuerunt, quæ si in te essent, iure posses illum tuum Burdonem vel minimo prouocare: noli igitur doctorum virorum famæ illudere, cùm minimè dignus sis, qui ipsis, si viuerent, matulam porrigeres.

CAPVT VI.

Hic tandem egregium tuæ doctrinæ specimen edis appositione verborum Festi, vt mea sententia magis, magisq; confirmetur, quasi verò Plutarchi testimonio parùm insit auctoritatis ad id, quod volo stabiliendum: video te, non secus, ac Scaligerum, veteris illius Grammatici locos omnes in promptu, atque in numerato habere, vt suspicer interdum ipsius te consilio sapere, ac certè nisi Arcadicus asinus esses, Burdonem Veronensem te esse facilè crederem; sed hæc fortasse aliàs. Quam de Fabiis à *fouio* potius, quàm à *fauio* nuncupatis quæstionem excitas, tunc ego tibi explicabo, cùm docueris *fauiam* pro *fouea* antiquitus dici consueuisse; quamquam hunc nodum facilius multò, ac lōgè melius tibi exoluet tuus Scaliger, homo in Festi lectione diù multùmque versatus, quod eius scripta perspicuè docent. De Plutarchi loco propè est, vt tecum sentiam, nisi si fortasse prestet legere *πρῶτον ἀντι τȣ πολὺ*, quomodo locutus fuit Aristoteles; *ἄνδρες οἱ πρῶτοι καὶ δοκιμώτατοι*: sed tu imperitiam Hellenismi vocas exemplariorum peccatum, ad quod inde tollendum tibi præluxit Gulielmus Xylander, nam tu es germanus asinus: *Vt à caueo* (inquis) *cauissa, caussa, sic à fauio, fauissa, fossa*. vt hoc *περὶ τȣ fossa* respondeat exemplo à te allato, dicendum erat *faussa*; nunc, cùm dicatur *fossa*, cur non eam à *fodio* potius, quàm à *fauio* detiuari existimemus? & sanè *fauissę* non sunt à *fauire*, sed à *flare*, quoniam in eas non rude æs, argentumq;, sed flata, signataq; pecunia conderetur, vt scribit Gellius ex Q. Valerio Sorano, *Sunt qui putent* (inquit Festus) *fauissas esse in Capitolio cellis, cisternisq; similes, vbi reponi solita erant ea, quæ in templo vetustate fracta erant inutilia*. idem scribit Varro, vt Gellius refert lib. 2. tū, quod generatim vtrobiq; pronunciatur, ad solas imagines transtulisti, & audes in alios superbum censurę imperium exercere? Adhuc cogito an in Plinio legi posit *Fabulorum* pro *Fabiorum*. Cornelius Tacitus Annalium libro 19. Fabij Fabuli cuiusdam meminit, qui legionis quintæ legatum egerit: hanc gratiam tibi retuli pro loco Festi abs te indicato; & vereor ne nō paria fecerim, tanti refert istū Festi locum nō ignorare.

CAPVT

CAPVT VIII.

QVID mei ſit iudicij de loco Propertij mea hæc verba non obſcurè ſignificant. *Quę lectio ſi fortè quemquam ſui amatorem inuenerit (nam ego omnem prorſus auctoritatem defugio) habet quo ſe ei commendet:* & tamen eruditiſsimi viri Marcelli Ceruini coniectura digniſſima eſt, quæ ab omnibus ametur, ſummiſq; laudibus efferatur, ſiue dictum velimus *ſanguis integer rugis,* quod tu non probas, probat autem ferè Virgilius, qui dixerit,

-vos ò quibus integer æui *Sanguis ait.*

ſiue *vteris annis* eodem modo, quo dixit Auſonius,

Vtere vere tuo. & Ouidius de Arte Amandi,

Vtendum eſt ętate: cito pede labitur ætas.

Tibulli carmen, quod citas, habet *floret* in vulgatis codicibus: tu legis *vernat*: obſeruo lectionis varietatem, non damno factum, neq; enim dubium mihi eſſe debet, quin tu tantæ eruditionis homo exquiſita aliqua ratione ductus hanc ſcripturam inuexeris, illam alteram extra proprios fines eieceris: vtrumque coniunxit Prudentius.

Aruorum dominos vernantes flore iuuentę.

tu alterum altero prætuliſti, & quidem pręter fidem vulgatorum exemplariorum; cauſam non quęro: *αὐτος ἔφα.*

CAPVT IX.

VTINAM ſæpè meum conſilium animaduertiſſes, profectò liberaſſes me hac moleſtia, quam haurire neceſſe habeo in detegenda inſcitia tua, & calumniis cõfutandis: hoc igitur agã te auctore, atq; adeò impulſore. *Ampullas loqui eſt ampulloſa, & tumentia verba loqui.* ſi Latinè ſcires, facilè poſſes intelligere non aliter de hac re me ſentire, ac loqui toto illo capite, quàm tu ſentire, ac loqui oportere cenſeas: illud vrgeo, quod dixi; hunc ſermonem videri ſumi à magnitudine verborum, quæ ipſas ampullas implere queant. tu occurris. *Loqui lapides eſt dura loqui, non quę magnitudine ſua æquent ſaxa.* acutè: quaſi verò vtrumque ſimilitudine quadam non dicatur, quemadmodum verba lapidoſa lapides, & ſaxa duritie ſua referunt, ſic verba ampulloſa ampullas ipſas æquent, quod quid aliud eſt, quàm ampullas ipſas implere, aut earum magnitudinem referre? nam ampullæ quidem vaſa ſunt magna, & ampla, poſſuntq; liquoribus impleri, ſaxa non item: atque in hunc ſenſum dictum eſt ab Ariſtophane *ῥῆμα μυριάμφορον,* vel te inuito, atq; iſta tua Logica quantumuis repugnante; inde etiam

percommodè verbum *ampullari* pro tumidè, & inflatè loqui, deducitur. Sequitur deinde subtilis tua distinctio. *Ampullæ sunt διανοίας, sesquipedalia λέξεως: nam turgentia, & tumor verborum sensus est, compositio autem λέξεως.* Hic more tuo non vno modo peccas: primùm non assequeris, quod ego planissimis, apertissimisq; verbis explicaui; nimirum quemadmodum verba ampullosa à mensura liquidorum deriuantur, ita ab altero mensuræ genere verba sesquipedalia nuncupari; quod tàm verum est, quàm te esse maximum Burdonem: sed esto, fac me loqui, quod tu stertens somnias; adhuc maximum Burdonem te esse prædico, idem mecum loquitur Hadrianus Turnebus, cuius illa non ignoras Aduersar. lib. 7. cap. 19. *Sesquipedalia verba apud Flaccum in Arte non tàm intelligo longa, & extensa, quàm turgida, & inflata, ac prætumida; nam ab architectis esse translationem sumptam puto; apud quos sunt tigna sesquipedalia, materies crassior, ita loquitur non rarò Vitruuius; inde igitur Horatium explicandum arbitror, cùm ait,*

Proiicit ampullas, & sesquipedalia verba.

ampullarumq; figura, quæ tumidæ sunt, huic conuenit interpretationi, quamquam si de longis quis accipiat, qualia sunt dithyrambica, non repugnabo, præsertim cùm dicat libro 7. epigr. 13. Martialis; & cætera. quomodo hinc te expedies dialecticè? vides rem tibi esse cum homine Gallo? sed volo te cum patente tuo committere, vt sit Bithus contra Bacchiū. Iulius Cæsar Burdo, qui postmodū Scaligeri nomen vsurpauit, Poëtices lib. 1. Historicus in scripto de Dithyrambis loquens inquit. *Erat stilus tumidus, atque (vt ille ait) plenus deo, plenus numerorum, plenus compositarum vocum, quas ampullas, & sesquipedalia Satyri nostri appellarunt. Horatius iccircò Dithyrambos audaces vocat:* deinde Hegelandri epigramma quoddam adscribit ampullosis illis, & sesquipedalibus verbis refertum. Turnebo, & Scaligero tàm sunt λέξεως verba sesquipedalia, quàm ampullæ, vt vides:

Scire velim præcepta patris quibus auribus hæc tu
Accipias Galliæ censor doctissime gentis:

non tamen inficias eo διανοίας etiam interdum censeri; ac de his quidē hactenus. Accedo nunc ad Scotopatrensia epigrāmata, ne tàm bonam ridendi, atque adeò irridendi te occasionem amittam, nam quæ de illis scripsisti, huiusmodi sunt, vt etiam Proteum, qui numquam risisse fertur, ad risum cogere valeant. Quæ iocans de plagio iuuenis Scoti tradidisti, ea tàm vera sunt, quàm nunc lucere, siquidem circumferuntur Michaëlis Neandri Sorauiensis Græcæ linguæ ὑποτύπωσις à Ioanne Oporino ante hos vigintiquinque annos Basileæ excusa: in illis codicibus extant illa duo epigrammata Græcè, Latinèq; expressa eodem prorsus pacto, quo ipse edidi; ac sanè, si mentem habuisses, facilè cognoscere

gnoſcere potuiſſes eorum Latinam interpretationem non tamquam meam illic à me venditari, ſed pro aliéna ingenuè proponi: hæc enim mea ſunt verba. *quod ſeruata, quantum fieri potuit, Græcorum verborum compoſitione, ita Latinè redditum eſt.* item de altero. *quod & ipſum eodem modo ſic Latinè conuerſum reperi.* qui ſic loquitur, Villiomare, illius ſe verſionis auctorem non profitetur. Cęterùm ſi quæris, quid de illis epigrammatis ſentiam, dicam liberè, nouitia ſunt, antiquitatem non ſapiunt, tùm ob βομβαρδῶν, de qua videndi ſunt præter cæteros, Laonicus Chalcondylas de Reb. Turcicis lib. 5. & Hieronymus Magius Miſcellaneorum lib. 1. c. 1. tùm aliis de cauſis, quas ipſe ignoras, licet Neander ea confecta videri velit ab aliquo poëta ſpiritu diuino afflato, qui viderit id, quod multos poſt annos erat euenturum: hoc interim certum eſt, ea nullo modo referri poſſe ad iuuenem Scotum, qui antè hos quindecim, ſexdecim plus minus annos ea iſthic pro ſuis ediderit, vobiſq; omnibus callidè nimis impoſuerit; nam (vt dixi) multò antè, anno videlicet ſalutis humanę 1561. ex Oporiniana Calchographia prodierunt; itaque in manifeſto plagij crimine iuuenis ille deprehenditur; nec tu tantus patronus cauſam ipſius vmquam tueberis, clames licet ad ranim, ac diſrumparis denique: nimis aperta indicia extant; res ipſa planè loquitur: volo autem quaſi prolatis tabulis hanc cauſam perorare, nec te Iudicem reſpuo: illic in codice Neandri ante illa epigrammata admonitiuncula hęc ſpectatur: recita cōmentarium. *Antitheſis, in qua conferuntur pſeudoprophetę, falſi, ac idolatrici doctores, cum Chriſtianis, piis, ac orthodoxis doctoribus, tranſcripta ex antiquiſſimo Gręco codice manuſcripto, in quo tùm alia argumenta Gręca inerant, antiquiſſimis planè characteribus in membrana in Patris Achaię oppido ſcripta ante annos mille trecentos; tùm etiam vtraque epiſtola Pauli ad Theſſalonicenſes ex Athenis miſſæ ibidem legebantur: vt veriſimile ſit, eodem tempore, quo Pauli epiſtolę ſcriptę fuerunt, eoſdem etiam verſus à Pauli quodam diſcipulo de Spiritusſancti impulſu fuiſſe conſcriptos, vt poſtea hucuſq; in multis exemplaribus manuſcriptis cum iiſdem epiſtolis ſemper iūgerentur, & hac ratione ad hæc vſque tempora ſeruarentur. nouimus enim virum magnum, ac excellenter eruditum, profeſſorem linguę Gręcę in Academia quadam Germaniæ celebri, amicum noſtrum, apud quem hęc eadem oracula iiſdem verbis in volumine ſimiliter Gręco, & manuſcripto, non diuerſo à noſtro, reperiuntur. Ac ſunt, qui in Italia alicubi eoſdem verſus in marmore vetuſto inſcriptos ſe legiſſe referunt: quę ideo retulimus pluribus, vt ne quis de vetuſtate horum carminum dubitaret.* hæc ille. Equidem non riſi magis tuam inſcitiam, atque impudentiam, quàm cùm ad hanc diatribam perueni: vehementer cuperem nunc videre iſtam tuam perfrictam frontem, ſtigmatiſq; compunctam; interim obſecro te, Villio-

mare Burdonissime, atque obtestor; rescribe ad hæc quamprimùm, vt aliquod aliud istius acuminis specimen habeamus. Quod ἰρονικῶς ais, me vobis alterum epigramma in hypocritas summa libertate districtum non inuidisse, dilui potest Iosephi Scaligeri verbis ex epistola ad Sebastianum Sennetonium in nuncupatione suorum Cómentariorum in Priapeia, ex qua epistola paucula hæc tantùm verba excerpsi, ne longum facerem. *Cur ergo, inquies, hæc vulgas? cur interpretaris? quid minus vtile fuit, quàm hoc vlcus tangere? Priùs dicant velim; an possum ea supprimere, quæ tot iam editionibus publicata sunt? deinde quare non licebit mihi quod omnibus licuit etiam sanctissimis, & doctissimis viris?* reliqua inde petat studiosus Lector, si libet. De Mureti Galliambo quod postremò commemoras, non inficiabor me parùm attentè carminis illius inscriptionem spectasse; at quantulum peccatum hoc est præ illis, quę tu vir oculatissimus, ac diligentissimus admittere consueuisti: dies me deficiet; si doctorum virorum huius generis ἁμαρτήματα numerare velim: sed nunc mihi non vacat isthæc minuta sectari, & potes tamen, si libeat, consulere Petrum Victorium Var.lect. lib.5.cap.5. sint illa igitur verba Mureti; alia ego illic ex Catullo produxi, quę meã sententiam optimè constituunt; si id, quod volui, sum consequutus; do tibi properanter nimis carmen illud me percurisse. Eia bone vicisti. *τὸ primùm* rectè à me vsurpatum fuisse Laurentius Valla te docebit Declamationum in Bartholomęum Facium libro primo, tametsi ad uerbialiter sumi potest ἀντὶ τοῦ *primo loco*, quod per tuam grammaticem licere puto: per quam etiam tibi licere voluisti *Marmor Italicum, & Patrensem Membranam* valere marmor in Italia existens, & membranam, quæ Patris asseruatur; cùm marmor Italicum dicatur marmor in Italię lapicidinis effossum, sicut marmor Numidicum, Parium, quod in Numidia, & Paro gignitur, itaque Statius inquit Syluarum libro 1.

Hic Lybicus, Phrygiusq; silex, hic dura Laconum

Saxa vireut. Patrensis autem membrana sit propriè ea, quæ in Patris oppido conficitur, sicut charta Saitica, & Tęniotica, &, sicut est apud eumdem poëtam.

Chartę Thebaicęq;, Caricęue. vel saltem librum significet, qui fuerit Patris exaratus, non qui ibi reperitur; sicut Basilienses, Lugdunenses, Antuerpienses codices appellamus, qui Basileæ, Lugduni, Antuerpiæ impressi sunt, licet ij hîc in Italia extent: sic chlamys Spartana, Sydonia, Phrygia, Mylesia, à locis, vt ita dicam, natalibus, nominatur, & linum Taniticum, ac Pelusiacum, Buticum, Tentyriticum nuncupamus cum regionum nominibus, inquit Plinius, in quibus nascitur. cùm tu hæc tibi σφάλματα indulgenter condones, aliorum leuissimas lapsiones plusquam censoria seueritate castigare audebis?

CA-

CAPVT X.

QVAM ocio abundas, qui perleuia hæc, & minuta consectaris: ego tibi vnico verbo respondebo: lege *Stratos*, quomodo ego scripsi, etsi tàm diligentes operæ typographicę apud nos reperirentur, quàm isthic esse audio, non confecisses tàm ingentem numerum diatribarum, quamuis ne sic quidem istiusmodi à manu, non à mente peccata notare debueras, si vir fuisses. *Est ita sanè, mi homo, sed & Stratos vrbs fuit Acarnaniæ.* nam illud; *In meo codice nusquam Strato comparet.* probè se habet, est enim *τὸ Strato*, vt Ciceronis locum respiciat. *Hinc Rhetorum campos de Marathone, Salamine, Plateis, Thermopylis, Leuctris, Stratoq;:* vnum addo in gratiam studiosi lectoris, ne se tempus omninò amisisse queratur in hoc capite perlegendo. Ianus Parrhasius admonet nos de altera scriptura illius Ciceroniani loci, quę sit. *Hinc rhetorum campos de Marathone, Salamine, Plateis, Thermopylis, Leuctris; hinc sunt Cocles, hinc Decij:* pro eo, quod esset *Stratocle*, vnde *Stratoq;* manauit, quæ lectio quemadmodum sustineri posit, ostendi.

CAPVT XI.

TV, quisquis es, non vno modo peccas, idque perpetuò facis toto isto tuo Animaduersionum libro, vnde subiit mihi interdum cogitare, non magis te in animo habuisse inscitiam, quam vocas, meam detegere, quàm latenter experiri voluisse, an ipse tua ęrrata deprehenderem, vt hac artificiosa ratione de mea doctrina certius adhuc periculum faceres, quocũque tamen consilio istud tuum opus aggressus fueris, nę perpetuam tibi infamiam comparasti, meque ad eam pugnam pertraxisti, ex qua ingẽtem laudem fuissem relaturus, si cum valentiore aduersario concertassem, nam, vt nunc se res habet, non debeo de victoria magnopere sollicitus esse, quę mihi laudem nullam sit paritura: hactenus cum Gallis de imperio certauimus, nunc ludicram pugnam propositam esse mihi video, vnde fortasse colligi potest minimè Gallum esse te; ac certè in agro Veronensi, aut Patauino te, ac cæteros Burdones gentiles tuos ortos fuisse sunt qui non dubitanter affirment: sed manus tamen conseramus, vt ista tua temeritas, & audacia saltem contundatur. Dicis primùm existimasse me ex recto Δάνδαμις apud Plutarchum accusatiuum esse Δάνδαμιν, apud Lucianum Δανδάμιδα: quid aliud hîc ego respondeam, quàm te volentem, scientemq; magna confidentia mentiri, & falsarios imitari voluisse, qui litis obtinendæ causa literas publicas adulterant? an hæc calumnia est? minimè verò; audi

audi quæſo patienter mea verba. *Lucianus in Toxari Dandamidis cuiuſdam meminit, quem arctiſſimo amicitiæ vinculo cum Amizoca quopiam coniunctum fuiſſe narrat, ſed, vt dico, Dandamida ipſum vocat, non Dandamim.* dixi *cuiuſdam,* non *huius,* ſiue *eiuſdem*: dixi *Dandamida* ipſum vocari, non *Dandamim*, intelligens nimirum diſcrepare inter ſe duo illa nomina, nec eumdem omninò virum ſignificare, vt minimè etiam peccatum à me ſit in ratione temporum, quod tu baceole putaſti. Deinde affirmare non dubitas, hæc nomina maſculina numquam habere *περιττοσύλλαβον* accuſatiuum, ſed *ἰσοσύλλαβον* nominatiuo: an non cuncta huius generis vocabula in quinto ordine cenſentur? *πέμπτη δὲ κλίσις* (inquit Laſcares) *ἐστὶ πάντων τῶν περιττοσυλλάβων ὀνομάτων ἀρσενικῶν, καὶ θηλυκῶν, καὶ οὐδετέρων, κοινῶν, καὶ ἐπικοίνων, διαφόρους καταλήξεις ἐχόντων, ὧν ἡ γενικὴ εἰς ος, ἡ δοτικὴ εἰς ι, ἡ αἰτιατικὴ εἰς α*: idem recentiores Grammatici vno ore fatentur omnes, Vrbanus, Melancthon, Clenardus, Vergara, Neander, Girardus, Ramus, & quis non? exemplum vnum ipſe attuliſti *Πάριδα*; alterum eſſe poteſt *Ἴαπιδα*, de quo Auſonius

Idmona quòd vatem, medicum quòd Iapida dicunt,

à recto *Ἴαπις*. Virgilius

Iamq; aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis.

ita enim mault Hadrianus Turnebus, quàm quomodo extat in impreſſis codicibus *Iapix*. *Δάφνις* quoque Græca declinatione *Δάφνιδα* emittit Eobano Heſſo tranſalpino homini,

Daphnida formoſum gelida conuenit in vmbra.

Henricus Stephanus, quem Daphnim aliquoties nominauit, Daphnida vocat Ecloga, cui titulus Chloris,

Peſſimę aquæ ſolum facitis cur Daphnida pulchrum?

idē Eobanus pari incremēto, licet terminatione diuerſa illud Theocriti

Ἄδωνιν ἡ Κυθήρη ſic vertit; *Adonidem Cythere*
Ὡς ἔιδε νεκρὸν ἤδη. *Vt vidit interemptum.*

at Henricus Stephanus ita, *Adonin vt Cythere Iam vidit interiſſe.* neque diſsimili ratione eiuſdem poëtæ *Δέλφιν* Delphida reddidit Eobanus Pharmaceutria

Quę cùm plura mihi, tùm Delphida dixit amorem
Conuertiſſe aliò. neque aliter efferunt Græci nomina hæc, quæ ſequuntur. *ὁ ὕπανις, τὸν ὑπάνιδα, καὶ ὕπανιν: ὁ βούσιρις, τὸν βουσίριδα, καὶ βούσιριν: ὁ τάναϊς, τὸν ταναΐδα, καὶ τάναϊν: ὁ κάλαϊς, τὸν κάλαΐδα, καὶ κάλαϊν. ὁ θάμυρις, τὸν θαμύριδα, καὶ θάμυριν; ὁ φάσις, τὸν φάσιδα, καὶ φάσιν*: ſed quid opus eſt ſingillatim exempla perquirere, cùm *γενικῶς* pronunciatum ſit ab eruditis Grammaticis quintam nominum declinationem eſſe impariſyllaborum, quorum accuſatiuus in

α deſinat

α desinat κοινῶς, in ν verò Ἰωνικῶς; licet tu ista doctrina prœditus incu satiuum Γάρδα Aeolicè enunciari credideris: tantum igitur abest, vt Δάνδαμιδα contra præcepta grammaticorum dictum sit, vt non alium Luciani hominem esse credam, quà pertinet ad nominis inclinationē, quàm Δάνδαμιν Plutarchi. Nil prorsus autem dubito optimè rationem constare emendationis Δάνδαμιν pro Μάνδανιν apud Strabonem, non quidem ex Luciani Toxari, vt tu imprudenter existimâsse vi deris, sed ex Arriani περὶ ἀναβάσεως Ἀλεξάνδρου libro septimo, vbi sapiens ille Indorum primarius Δάνδαμις appellatur, quomodo etiam eumdem vocat Plutarchus in Alexandro.

CAPVT XII.

VALDE tibi places de istis tuis procemiis, ad quæ tunc potissimum confugis, cùm lectorum animos à rei, qua de agitur, disputatione auocare studes: sed & in his quoque Aesopi corniculam imitaris; itaque multis modis deridendum te præbes: hîc certè, nisi impudentissimus sis, non inficiaberis istius te poœmij sententiam ab Hadriano Turnebo mutuò sumpsisse, ipsumque tibi verba etiam aliquot suppeditasse, quibus eam exprimeres: ille enim Aduersar. lib. 20. c. 31. sic ait; *Hæc more galli gallinacei terram miserè scalpentis vnguibus, & cibo eruentis aliquot granula, velut excalpsi ex Terentiana Fabula.* vidimus furtum, videamus nunc mendacium. tua verba. *Apud Martialem ais in quibusdam exemplaribus scriptum extare*

Auidi sequuntur villicę sinum porci.

non sinum, vt vulgò: hanc lectionem amplecteris. hoc tu affirmare audes homo impurissime, flagitiosissime? an non perspicuè, planèq; scriptum est in illo meo capite? *His ego auctoritatibus munire volui hanc postremam scripturam, vt eius retinendæ lectori desiderium ingererem: suadeo, non cogo.* illud etiam addo, vocem *auctoritatibus* non tantùm referri debere ad locos Aristophanis, vt tu putasti, sed ad Aeliani quoque, & Plinij, quos illic citaui. Tertium adhuc restat, quod eruditionis tuæ specimen nobis prębet, id adeò persequar, vt vno aspectu furtum, mendacium, inscitiam tuam omnes intueantur: clamas de scrofa villicam me fecisse; par pari refero, tu de Scaligero fecisti Villiomarum, ille de Burdone Scaligerum finxit, vel à parēte fictum deinceps sequutus est: an mihi non liceat, quod tibi in re longè maioris momenti licere voluisti? ipse tamen legem Corneliam de falsis veritus fui, tibi solemne est humanas, diuinasq; leges omnes contemnere, nec quicquam pensi habere, vt animo tuo morem geras: imminet tibi magnum malum, & factis dignum supplicium, ni caues. Ego de

villica

villica scrofam feci. *Hanc suum* (inquam ego) *facilè sequendi custodem naturam intuitus est Aristophanes, cùm dixit in Pluto*. non dixi ego Aristophanem de villica, & porcis ipsius vocem sequentibus præcisè loqui, sed suum naturam aliquo pacto respexisse: an, quæso, verum non est sues matrem sequi? sequuntur illi quidem grunnientem & ipsi quo que grunnientes: grunnitum illum imitantur porcarij præeuntes porcorum gregi, quòd si longius absunt, quàm vt vox exaudiri queat, buccina vtuntur, ad cuius vocem accurrunt illi gregatim magna festinatione, sicut Polybius testatum reliquit sub initium libri 12. Historiarum. quippiam etiam ab hac re non ita alienum narrat M. Varro De re rustica lib. 2. & lib. 3. hanc rem in animo habebat Aristophanes, cùm illa scribebat; quid hinc absurdi, quid ridiculi consequitur Aristarche?

CAPVT XIII.

NON te peto, piscem peto, quid me fugis, Galle? Audiamus tua verba. *Audes* (inquis) *pignore deposito contendere legendum recuso*. hæc tu sic me loquentem facis; at ego dixi. *Non libet meo periculo affirmare Plinij locum esse corruptum illic, vbi de gemmis, earumq; probandarum ratione agitur, sed, si ad meam coniecturam vetusti alicuius exemplaris auctoritas accedat, ausim equidem vel pignore deposito contendere verba hęc ita legi oportere*. deinde paulò post subdidi. *Sed hæc (vt dixi) mea coniectura sit interim, dum certius quippiam vetere aliquo codice pręlucente nobis appareat, namque interim negari non potest, quin aliqua non omninò mala sententia colligi queat ex verbis eo modo conceptis, quomodo vulgatę editiones pręseferunt*, & reliqua. quid inter meum, tuumque sermonem intersit, nemo non videt: sed liceat tibi, quantum uis mentiri, ac peierare, siquidem, cùm pudorem semel prostitueris, frustrà fides, atque integritas abs te exigitur: respondeo nunc ad interrogatiunculam. *Quid, mi Roberte? quoties scalpuntur illę, opus est fornacem cum incude prestò esse, ad quam scalprum bebetatum candens recudatur:* opus est, Villiomare, atque ita sanè, vt in re tanti momenti ingentem diuersorum instrumentorum apparatum semper adesse necesse sit, ac fornacem in primis, carbones, eosque certi cuiusdam generis, folles, malleos, forcipes, limas, incudes, alia propemodum infinita in hunc vsum: vidi ego, viderunt alij hîc Florentiæ gemmarum scalptoris officinam instructissimam, cuius magister diceret, non paucioribus instrumentis opus illud indigere, quàm quot diebus integer annus constat. De vetere Plinij scriptura meum iudicium non ignoras. *Videtur opponere voluisse Plinius rem penè contrariam ei, quod primo loco dixerat, vt aliæ ferro scalpi non possint, cùm ait, alię non nisi retuso; vt hęc*

sit tanta

sit tanta illa differentia, de qua prędixerat. addo nunc, vt rem planius, manifestiusq; intelligas, solidissimas gemmas, ac pręcipuè adamantem rotulis quibusdam, siue sphœrulis, quas bottones vocant, scalpi consueuisse smyride, qui minutissimè tritus sit, ita vt puluerem fermè referat, ingesto; huius lapidis, seu pulueris ope, atque auxilio gemmæ durissimę excauantur, ac poliuntur, illius etiam fuit vsus penes antiquos, vt scribit Dioscoridis libro 5. ex nostris videndi sunt, præter cæteros, Andreas Mattheolus in suis ad Græcum illum auctorem Commentariis, necnon Hieronymus Cardanus in libris De subtilitate. Ad τὸ *Recusum* Latini poëtæ, nihil amplius dicam, quàm scripturam hanc placuisse Dionysio Lambino homini Gallo; Gallum cùm dico, eum intelligo, qui errare nequeat; immeritò igitur reprehendis me, perinde ac probam lectionem deteriore mutauerim (memineris te verbo *mutare* vti pro *permutare*, quod in me tamquam illud perperam vsurpauerim, dignum tua censura duxisti diatriba 20. libri 9.) neque enim mutaui ego, sed ille tuus, quem modò nominaui, Dionysius Lambinus; etsi frustrà hìc quęrimus de scriptura loci Horatiani, cùm satis sit ad obtinendum, quod volo, Latinè dici *Recudere* pro iterum fingere, & redacuere: Illud certè præterire non debeo, quod ais ad locum Plinij. ***Alię gemmę ferro omninò contumaces sunt: alię non respuunt quidem, sed hebetant, & retundunt prima statim sculptura; omnes autem adamantem admittunt, atque ei cedunt.*** Vide, quæso, quàm nihil videris. Plinius loquitur de ratione gemmas scalpendi, atque inquit, earum quasdam reperiri, quæ nullo pacto ferro excalpi queant, quasdam verò scalpi quidem ferro, sed retuso, & in sphærularum modū hebetato: durities quarumdam ferri aciem retundit vsque adeò, vt ab ipsa ne hilum quidem afficiantur, itaque excogitarunt δακτυλιογλύφοι sphærulas illas, quas dixi; earum ope, & lapide smyride prętant, quod acutissimo ferro prętare nequeunt: loquitur ergo præcipuè de gemmarum scalptura, non de ferri hebetatione; est enim illorum verborum ordo, ac series: aliæ ferro scalpi non possunt, aliæ nonnisi retuso scalpi possunt, verùm omnes adamante scalpi possunt: tu sermonem traducis ad hebetationem scalprorum, perinde ac de illa potissimum re tunc Plinius loqueretur: quid inter vtrumque sermonem discriminis intercedat paululùm modò te doctiores nullo negocio intelligent, nam hæc ingenij, ac iudicij tui captum longè superant. Volo autem nunc emendare non leuem meam lapsionem, quam tu (vt es lusciosus) videre non potuisti, atque ita maledicentiæ materiam tibi subducere; peccatum autem spectatur capite, quod hoc consequitur. ibi, ***Cùm Zeno Stoicorum princeps***, & reliqua, itaque eo in loco deleri iubeo τὸ ***Stoicorum princeps***, neque enim Zeno ille, cuius inuentum fuit Achil

lea argumentatio, Stoicorum familiam duxit, velnti ex Laërtio cognosci potest, quocirca nunc errore deprehenso velim foras abiici duo illa verba, nec vllo modo in contextum recipi; hoc tu peccatum si animaduertisses, Dij boni, quo me conuiciorum genere obruisses? nunc egomet de me victoriam tuli hanc tibi laudem penitus præripiens.

CAPVT XV.

SVSPICATI sunt docti viri, qui in veteribus exemplaribus perquirendis, pensitandisque non leuem operam posuerunt, nullibi vmquam extitisse vetustum illum codicem Bernardini Vallę, cuius meminerit Politianus; putantque ipsum parùm ingenuè ea in re se gessisse, atque os doctis viris eo pacto sublinere voluisse: verumtamen vt ille codex fuerit aliquando in rerum natura, an mihi nō liceat eadem ratione vti, qua tu ex tua Logica alicubi vsus es, cùm ais? *Malam his interpretationem subiunxisli, siue tuam, siue alius nescio cuius: sed tantidem ego facio, aut te malū interpretem esse, aut malorū interpretum fidem sequi.* siue igitur Politiani commentum illud fuerit, siue alterius nescio cuius, certum est minimè necessariò fuisse excogitatum, & pro vetere scriptura in Propertij codices coniectum; *Orno* siquidem rectè se habet eo sensu, quem exposui, hoc est prò torno, seu potius machina illa, quæ circumagitur ad funes torquendos, cuiusmodi multas passim apud nos videre licet; eæ vulgò *filatoi* vocabulo censentur: ac vix est, vt funes præsertim crassiores absque ea machina confici queant, tametsi affirmas tu magna animi confidentia sola manu nullo adhibito instrumento torqueri posse: huic autem machinæ veræ illi quidem non imaginarię, vt tu censes, aliam omninò haud absimilem expressit Iuuenalis illo carmine.

Qui docet obliquo lanam deducere ferro.

certius autem de re tota constaret, si duo illa marmora inspicerentur, quæ Romę extare scribit Hermolaus Barbarus, in quibus Ocni fabula incisa spectatur. Hactenus constitui meam sententiam de Propertij loco; nunc ipsa mea verba aggredior. *Et fortasse ornus prę cęteras arbores expetebatur.* Tu fuisti tàm cæcus, vt non videris artificis librarij vitium in prępositione excribenda; is in exemplaribus nostris quędam malè, vt fit, aut inducta, aut deleta repererat, eaque tamen pro rectis, ac legitimis inconsultò excudit; nam cui, quæso, locum illum legenti non statim in mentem veniret *Pręter*, quomodo loquitur Plautus Amphitruone?

Sola hîc mihi nūc videtur, quia ille hinc abest, quem ego amo pręter omnes.
Horatius Ode 3. Epodωv.

Vt Argonautas præter omnes candidum

Medea mirata est ducem. . an verò autumas ignoraſſe me conſtructionem illius alterius præpoſitionis, qui alibi in meis libris diſertè ſcripſerim, *præ dolore, pre animi impotentia, pre vetuſtate*, ac nominatim libro 1. cap. 12. *quæ ſibi olim grata pre ceteris fuerint*; & lib. 7. cap. 11. *cùm ipſam laternam pre macie vix regeret, ac ſuſtineret*? ſcias tamen variè quandoque præpoſitiones conſtrui ſolere; hinc Plautus Caſina *clam meam vxorem* dixit, pro *mea vxore*, & Auſonius *hinc tenus Europam*, de quo alibi inferius diſputabimus: & an etiam ſeriò affirmas ſcripſiſſe me *obliquo orno*, non *obliqua*? an inficiari audebis hec mea illic eſſe verba? *Sumpſit Propertius ornum pro quouis ligno, eiq; epithetum addidit ex re promptum, nimirum obliquam*. deinde paulùm infra, *confer hoc poſtremum Iuuenalis carmen cum illo Propertij*

Dignior obliqua funem qui torqueat orno.

Intelligis hinc iam abundè, niſi veritati pertinaciter aduerſari pergis, quàm maſculino genere pro fœminino vtantur Ethruſci; cui turpiculo ſcommati grauius quicquam in præſentia reſpondere nolo; tantùm admonebo te Plauti verſiculo,

Saltem tute, ſi pudoris egeas, ſumas mutuum.

eumdemque ex re nata interim docebo, veteres interdum genera variare conſueuiſſe. Plautus Captiuis;

Itidem hec mi aduenienti vpupa, qui me delectet, data eſt.

Varro De Re ruſt. lib. 1. *Sin cogare ſecundum flumen ædificare, curandum ne aduerſum eum ponas*. ex noſtris Lodouicus Areoſtus poëta non ignobilis inquit,

Che fuſſe culto in ſuo linguaggio penſo,

Et era nella noſtra tale il ſenſo.

Plautus ad malleum reſpexit, Varro ad fluuium, Areoſtus ad linguam: Propertius lignum κατὰ ἀλλοίωσιν ex commutatione generis ſpectare potuiſſet, ſi *obliquo* non *obliqua* ſcriptum reliquiſſet: Virgilius etiam Aen. 7. inquit *pars arduus altis Puluerulentus equis furit*. cùm dixiſſet *Ardet inexcita Auſonia*: ſic Terentius Andria. *Aliquid monſtri alunt, ea quoniam nemini obtrudi poteſt, itur ad me*. vbi ſic ait Donatus. *Dum monſtrum dixerat, ea ſubiunxit tamquam non verbis: ſed ſententie ſeruiens*; huius generis eſt Homericum illud,

Ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Θηβαίου Τειρεσίαο

Χρύσεον σκῆπτρον ἔχων.

Catullus tamen rem ipſam preciſè appoſuit, quę potuiſſet nihilominus per ſe intelligi, vt dixi, ait enim De Nuptiis Pelei, & Thetidis.

Illa tempeſtate, ferox quo tempore Theſeus

Egreſſus curuis è litoribus Piræi.

ſed & de arbore quoq; illo pacto loqui potuiſſet Propertius ſine vitio; diſce, ſtupor, quod ignoras. Nonius. *Cupreſſus generis fœminini, vt dubiũ non eſt; maſculini Ennius; Capitibus nutātes pinos, rectoſq; cupreſſus:* idem; *Buxum generis neutri; Virgilius Georgic. 2. Et torno raſile buxum, Fœminini Ennius. buxus vincta, taxus tonſa.* Iunius Philargyrius ad illum Maronis locum, *ſignum* (inquit) *non arborem dixit, quamuis Ennij exemplo & arborem potuerit dicere neutro genere, ille enim ſic in ſeptimo. longique cupreſſi Stant rectis foliis, & amaro corpore buxum.* Seruius ad illum alterum ex 9. *buxuſque vocat Berecynthia matris Ideę. Dicitur* (inquit) *hæc buxus, & hoc buxum, vt Torno raſile buxum, vnde ſuperfluè quidam arborem generis fœminini volunt, cùm hoc loco etiam de ligno fœminini habeamus exemplum.* Ornum vis eſſe *ἀγρίαν μελίαν*, huiuſque pronunciati auctorem laudas Columellam; ipſe in eiuſdem Columellę codicibus ita ſcriptum reperi. *Neque populus, neque vlmus tàm idoneæ ſunt, quàm orni, & ſylueſtres fraxini;* vbi *ornus*, & *ſylueſter fraxinus* tamquam diuerſæ arbores commemorantur; nam hæc arborum vel in eodem genere non minima differentia cenſetur, quòd aliæ montanæ, aliæ campeſtres, aliæ proceræ, humiliores aliæ reperiantur; quamquam diligenter conſiderari velim, qua tandem ratione dixerit Columella ornum eſſe fraxinum ſylueſtrem, cùm fraxinus inde nomen traxiſſe credatur, quòd in fragoſis locis libenter agnaſcatur, vos certè *Freſne ſauluaige* eam nuncupatis: Torquatus Taſsius in maiori ſuo poemate illud *ſeluaggio* tamquam epithetum fraxino adiunxit,

Le ſacre palme, e fraſſini ſeluaggi.

Papinius tamen has duas arbores ſpecie diſtinxit, cùm cecinit, Thebaid. lib. 6.

Procumbunt piceæ flammis alimenta ſupremis,
Orniq; iliceæq; trabes, metuendaq; ſucco
Taxus, & infandos belli potura cruores
Fraxinus: atque ſitu non expugnabile robur.

quod antè ipſum fecerat etiam Virgilius Aen. 11. dicens,

-ferro ſonat alta bipenni
Fraxinus: euertunt actas ad ſidera pinus;
Robora nec cuneis, & olentem ſcindere cedrum,
Nec plauſtris ceſſant vectare gementibus ornos.

cùm toties, ac tàm ſupinè pecces, audes Eraſmum caſtigare? atqui, vt ſcias, vel nullo pacto is reprehendi meruit, vel multò antè à Paulo Leopardo, & ab Henrico Stephano notatus fuit ſuper interpretatione verborum Plutarchi, vnde omnis oritur difficultas; cornicula iſta Aeſopica prodit ſe multipliciter, namq paulò poſt Neſcio quid ſecum graue cornicatur ineptè. Politianum populareм meum vocas, an ita verò,

pro-

proptereaquod ſit meus δημότης, an potius συμπατριώτης, an verò quia conſors,& gregalis, nondum ſcire potui: vtcumque cenſeas,longè falleris,& ignoraſſe te quid propriè valeat dictio *Popularis* exploratiſsimum habeo: illud etiam æquè certò ſcio, voluiſſe te hunc meum popularem imitari, qui ſimili propemodum epigrammate luſerit in Bartholomęum Scalam,cùm is culicem muliebri genere nuncupaſſet: leo quiſpiam hactenus videri potuiſti, nunc iſta tua incondita vox aſinum te omnibus prodit: eia aſine lyram ſume, & feſtiuiſsimum epigramma iſta tua delicatula voce iterum modulare.

CAPVT XVII.

QVAM modeſtè geris te cum Iacobo Mycillo; factum laudo: ſi in Roberto Titio tale quippiam deprehendiſſes, ſexcentę paginæ non cepiſſent contumelias tuas, nunc quia Mycillus tranſalpinus eſt, excuſationem meretur ob corruptum exemplar,quo vſus fuit; verumtamen ſcire vellem, qua tandem ratione affirmes ſphæram illam non fuiſſe ex calamo, ſi Mycillus χαλανῦ pro χαλάμν legit,aut ſaltem doce nos, quid valeat illic vox χαλάμν, ſiquidem hanc eſſe rectam ſcripturam non obſcurè ſignificas:nodus inexplicabilis: ſphæras ex harundinibus in longum diſſectis, & in circulos compoſitis nos multas vidimus. quid ſi legas Καλάμιδος? is fuit inſignis cœlator, de quo plura ſcribit Plinius non vno in loco; Strabo quoque, Lucianus, Propertius, Quintilianus,& Cicero in Bruto eiuſdem meminerunt: ſed adhuc perſiſto in priore ſententia; niſi ſi, quod nunc mihi in mentem venit,ſphęram calamo in tabula pictam intelligamus, quam planam, ſiue in plano vocant; orbis enim cæleſtis poſitus, ac figura in tabulis quoque, ne dum in globis, calamo, ſeu penicillo nonnumquam repreſentabatur. Propertius.

Cogor & è tabula pictos ediſcere mundos,
Qualis & hæc docti ſit poſitura Dei.

ſed & hac quoque inter coniecturas, & locos controuerſi iuris reponi velim.

CAPVT XVIII.

HACTENVS modicis incurſionibus me laceſſiſti, & tamquam vires meas explorare velles, leuiter prouocaſti;nunc iuſta acie, cunctiſque viribus aduocatis mecum congredi meditaris victoriam tibi fingens nimis quàm incruentam: ſtulte, qui te parùm perſpecta in tantum diſcrimen ſciens, volenſque te conieceris: ſed congrediamur iam,& quantum quiſque valeat actutum experiamur. Potuiſſem autem

tem absque vllo existimationis meæ detrimento hoc, quicquid est certaminis detractare, propterea quod minore ex parte mecum geritur, sed omnis tuus conatus re ipsa in Amasæum, Hopperum, & Lascatim Pausaniæ, Diodori, & Polybij interpretes potissimum dirigitur; verumtamen, quoniam tantidem facere te præmonuisti, aut me malum interpretem esse, aut malorum interpretum fidem sequi, res mea agi existimaui, quocirca tuæ isti portentosæ aciei occurrere decreui. Mars vigila. Præclara hæc est obseruatio tua. *Spongiam vocat Liuius, quam Polybius καρδιοφύλακα nominat*. ego quæro cuiusmodi fuerit armatura ex spongia confecta, tu respondes de nudis vocabulis. aptè hîc vetus illud vsurpauerim ἐγω σκόροδα σοι λέγω, σὺ δὲ κρόμμυ' ἀποκρίνῃ, sed resipiscis tandem, putasque *munimentum pectoris spongiam vocari, quia gausapinum, & villosum esset, hoc est tonsis villis, & densis*. ergo spongiam vocabant, quòd & vsum spongiæ præbere posset; mirum autem cur gausapa omnia non appellarint spongias eadem ratione; næ tu delicatulos milites nobis narras, qui cedrinas mensas tergerent in castris, & quidem gausape, non spongia; satis ne intelligis duram istam, & coactam deriuationem illius nuncupationis? sed bellus es, cùm per *Gausape* apud Horatium delicatiorem materiam intelligis, qua diuites mensas detergerent loco spongiarum, quibus tenuiores fortunæ homines vtebantur: at, ne erres, *gausape* ab Horatio nuncupatur trapetum illud, quod mensæ insternitur, hoc enim propriè significat ea vox, si per te licet, per Martialem quidem licet, qui dicat libro 14. epigrammate, cui lemma *Gausapa villosa, vel mantile*.

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum,
Orbibus in nostris circulus esse potest.

igitur Horatius Nasideni luxum notare volens ait puerum ipsius pertersisse mensam gausape, non spongia; huic enim rei tunc fuit adhibitum gausape præter consuetudinem; non est igitur perpetuum, vt beatiores qui sunt, loco spongiarum gausape vtantur, sed asotorum tantùm, & luxu diffluentium: quàm verò gausapina chlamys ictibus resistendis, vt tu elegantissimè loqueris, apta sit, norunt omnes: sed redeo ad primam illam tuam diatribam. Non vis περίζωμα esse *subligaculum*, & Polybij verba ἀλλ' ἐν περιζώμασι ἐκινδυνεύον vertis *Sed cincti pugnabant*; at Suida περίζωμα interpretatur τὸ ὑπὸ τὰ αἰδοῖα σκέπασμα; quid tu hoc aliud esse cēses, quàm subligaculum? certè ista vestra Lexica περίζωμα *omne, quod circumcingit, pudendorum velamen, subligaculum* denique *exponunt*; idque sequitur Lazarus Bayfius in Commentario De re vestiaria addens præterea, subligaculum pudendorum tantùm velamen fuisse, neque femora contexisse; quod Nonius tamen simpliciter dixerat, *Subligaculum est, quo pudendę partes corporis teguntur,*

teguntur, *dictum, quod subtus ligetur*; Isidorus *Subfibulum subligaculum* exponit, vnde facilè intelligimus quid sit *subligaculum*, nam *fibulæ* notio, vnde *subfibulum*, nemini obscura esse potest. denique super tota hac re adeundus in primis est Hadrianus Turnebus Aduersariorum libro 9.cap.31.lib.19.cap.11.& 16.lib.22.cap.11.lib.27.cap.22.vnde tu pleraque eorum hausisti, quæ in istam tuam διαβολίαν ipsius nomine suppresso furtim coniecisti. sed neque etiam verum est subligaculis, aut subligaribus (idem enim vtrumque pollet) in sola histrionia locum fuisse, nam Martialis inquit epigrammate in Chilonem lib. 3.

Tecta tamen non hac, qua debes, parte lauaris,
Si pudor est, transfer subligar in faciem.

idem libro 7. in Philenum

Harpasto quoque subligata ludit.

hoc est subligaculo incincta, quod idem fermè est, ac si dixeris succincta, aut cinctuta; sic enim Luperci nuncupantur à Statio, *& tua multùm*

Verbera succincti formidauere Luperci. & ab Ouidio.

Semicaper coleris cinctutis Faune Lupercis.

de quibus Plutarchus in Romulo; διαθέουσιν ἐν περιζώμασι γυμνοὶ τοῖς σκύτεσι τ ἐμποδὼν παίοντες: quod Xylander extulit *subligaculis præcincti.* ergo in περιζώμασι est in *subligaculis*, vnde *subligatus*, *cinctutus*, siue *succinctus*, & *campestratus*, vt ita loquar hæc enim *vocabula eamdem* propemodum rem notione complectuntur. Ioannesbaptista Egnatius Annotationibus ad Vulcatium Gallicanum in Auidio Cassio ad hunc locum, *Et cùm ingens seditio in exercitu exorta esset, processit nudus campestri solo tectus*, ita scribit; *succinctorio, quo in gymnasiis, & palestris vterentur; subligar etiam à nostris appellatum, vnde campestrati.* Romani veteres incinctis togis pugnabant: Plutarchus in Coriolano. Ἦν δὲ τότε τοῖς Ῥωμαίοις ἔθος εἰς τάξιν καθισαμένοις, καὶ μέλλουσιν ἔτι θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν, καὶ περιζωννύουσι τὴν τήβενον, ἅμα καὶ διαθήκας ἀγράφους τίθεσθαι. est enim τήβενος toga. Dionysius lib.3. Τοιαῦτα τῶν ἀμφιασμάτων Ῥωμαῖοι μὲν τόγας, Ἕλληνες δὲ τήβενον καλοῦσιν. addo etiam, antequam hunc sermonem definam, scriptoribus morem fuisse vocabulis notione inter se non ita dissitis promiscuè interdum vsitare, sic *chlamys* pro pallio, *sarabara* pro crurum indumentis dictum scimus, nec dissimili ratione *inauris* ἀντὶ τοῦ ἐπῤῥίνιον, atque alia huius generis plura. Χαλκᾶ ποιήματα vertis *tu munimenta ænea.* liberalior fuit Amasæus in huius armaturæ descriptione, largitur enim de suo *Fibulis iunctæ lamine*, quod tamen ex Polybio sumptum est, qui dicat. ἔπειτα πέρονας συνάπτον πρὸς ἄλληλα. sed & περὶ τοῦ γύαλου καὶ προσώγου idem haud prorsus malè sensit, cùm anteriorem thoracis partem γύαλον, posteriorem προσώγον appellari dixit; neque enim ποιήματα ipsa

γύαλα

γύαλα nuncupantur, sed γύαλον est thoracis concauitas, τὸ μέσον (inquit Pollux) τοῦ θώρακος; ea porrò fit, cum duæ laminę ita copulantur, vt inter vtramque spatium aliquod intercedat, hoc est τὸ κοῖλον relinquatur; vni laminæ, atque eæ quidem anteriori totius nomen remansit γύαλον, altera, & posterior προσηγὸν appellatur: tu nescio quid ἀπὸ τοῦ προσέχομαι, siue ἀπὸ τοῦ προσήκω confinxisti, quod cu iusmodi sit, adhuc diuinare non potui: περὶ τοῦ προσηγοῦ cur tibi tuum insomnium credatur, nihil affers; alios quære, quibus istam fabulam narres, ego iam fugitiuum domum reduxi: Porrò equitum armaturam non ita absimilem fuisse peditum armaturæ Polybius, Vegetius, Leo Imperator, atque alij prodiderunt, nec quisquam negat equites quoque καρδιοφύλακα gestasse. Amasęus ἀναποκλῶνται vertit *retunduntur*, quod *debilitantur* dici debuit auctore nostro pędagogo. verùm quid, si *retardantur* scriptum fuit? sit igitur vel *retardantur*, vel *dentium impetus eluditur, & debilitatur*, vel denique quicquid vis, dum modò de re ipsa inter nos constet, quamquam verissimè affirmare possum ignorare te, quid valeat in Latino sermone verbum *eludere*, vt cùm ait Virgilius,

Ille cito motu rigidos eludere cestus,

Nunc exire leuis missos. sed profectò dies me deficeret, si cuncta tua errata curiosè persequi vellem: subit & hoc, quod pro Amasęo dici posit: *dentes retundi* respectu rei, quæ inde consequitur, venatores enim loricis illis lineis ita muniuntur, vt in cassum recidat omnis leonum, pardorumque conatus, nam ipsorum dentes tunicas illas peruadere nequeunt. Non ait Diodorus Iphicratem suis militibus ita clypeos detraxisse, vt eos nudos reliquerit, sed eorum vice modicas eisdem peltas præbuisse, quo facto consequutus fuerit, vt militum cor pora protegerentur, nec tamen clypei magnitudine grauarentur. καὶ κατεσκεύασε (inquit) πέλτας συμμέτρους. sic etiam loquitur Festus in *Parmulis*. *Parmulis pugnare milites soliti sunt, quarum vsum sustulit C. Marius, datis in vicem earum Bruttianis*. Lascares Græca Polybij ver ba ita expressit, vt scriptura, qua vsus fuit, poscebat, ac sanè, quid historicus ille sibi vellet, dubium esse nequit paullò intelligentioribus: tu ab ista tua audacia mirificè instructus nō dubitasti violentas manus inferre Polybio, & ex τῷ στεφάνῳ, quæ recta, germanaq; scriptura est, τε φάλῳ conformare: quòd si Pollucem in consilium adhibuisses, numquam tantum facinus admisisses: etenim is docuisset te στεφάνην speciem esse galeæ, eiusdemque partem; στεφάνη δὲ (inquit) εἶδος περικεφαλαίας ἂν εἴη, ὥσπερ καὶ μέρος. De chlamyde, quòd tantopere laboras, narro tibi nihil absurdi esse in illo meo sermone, saltem quod ferri nequeat; sed tu omnia monstra facis. Primùm non ignoras, quę

dicantur

dicantur ζάβαι; id autem docet Leo Imperator Commentario De bellico apparatu, & vidisti, opinor, equitis iconem, quem tunica vsque ad genua porrecta armatum ex vetusto marmore nobis exhibet Gulielmus Choulus in suo Commentario de Castrametatione Romanorum: deinde sic extat apud Iulium Pollucem ἐςὶ δὲ τὶς ϰ̀ ςολὴ ἀντὶ θώρακος: chlamys etiam pro prætexta vsurpatur Valerio Maximo; neque hinc longè abest; quod ait Horatius,

Quis Martem tunica tectum adamantina

Dignè scripserit? loricam tunicam appellans, quomodo ipse chlamydem eâdem nuncupaui: sic fermè Varro lib.4.de lingua Latina *Lorica à loris, quod de corio crudo pectoralia faciebant: postea succuderunt Galli è ferro sub id vocabulum ex annulis ferream tunicam.* Quòd *chlamydem coctam armorum* Gallis vocitari scribis, si ea idem est cum paludamento, nil noui affers, nam hoc ipsum docuit olim Budęus ad legem *Sanctum* in Pandectis titulo de Rer. diuis. rursusq; ad l.1.tit. Depositi sed de vtroque vestimentorum genere plura notata reperies à Volfgango Lazio in Commentariis Reip. Roman. neque non item à Lazaro Baysio De re vestiaria, qui & ipsum paludamentum Gallis *robbes à cheual* dici perhibet: nos vocamus *la sopraueste*; quod ex Bartolo iuris ciuilis interprete, si non aliundę scire potuisti: Latini *subarmale*, vt puto, eamdem nominabant. Excitas deinde magnam dubitationem, ibi. *Si bombyce farciebant thoraces lineos, quomodo à spongia denominari potuerunt?* Sed hæc dubitatio iam sublata fuit illis meis verbis. *Lineas chlamydes conficiebant, easque (vt puto) bombyce, spongia, lana minutatim dissecta, aut aliqua huiusmodi materia refereiebant.* tu tamen garris quicquid in buccam, multòque potius tibi est loqui, quàm quid loquaris cogitare, habes meam sententiam de spongia, quàm tantisper veram esse existimabo, dum alij me doctiores quid probabilius hac de re dici possit, demonstrabunt. Venio nunc ad bombycem, & gossypium, ne quicquam intactum sciens prætermittam: summa tuæ disputationis est bombycem, & gossypium non esse eamdem materiam: hæc est tua sanctio: at Plinius in alia omnia transit, atque hanc longè diuersam à tua sententiâ plenissimo Senatu pronunciat. *Superior pars Aegypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui gossypium vocant, plures xylon, & ideo lina inde facta xylina: paruus est, similemque barbatæ nucis defert fructum; ex interiore bombyce lanugo netur* cuius auctoritatem sequutus deinde fuit Lexici cōsarcinator in voce βάμβαξ, quem legent studiosi huius rei cognoscendæ; *bombyx* igitur non modò vermiculus ille nuncupatur instar aranei, vnde in Coo preciosissimę vestes conficiebantur, sed & vellus quoque ex plāta tenuissimum, quod & *cotonem* appellamus; vt non prorsus ineptè sensisse videatur

Acursius ad illud Vulpiani responsum *Vestimentorum, sunt lanea, linea, serica, bombycina.* itaque parùm circumspectè gessit se Andreas Alciatus, dum Parerg. iuris lib. 6. interpretem illum reprehendit, qui bombycina vestimenta illic exposuerit, quæ fiunt ex bambasio; nam *bombycem, cotonem*, siuè, vt loquitur Acursius, *bambasium* quoque dici, ne dum *sericum* Marsilius Cagnatus ex illis Plinij verbis rectè existimauit: cæterum *μεταξωτὸν* (vt hoc etiam addam) cuius meminit Virgilius dicens,

Quid nemora Aethyopum molli canentia lana;
Velleraq; vt foliis depectant tenuia Seres?

longè alia materia est à bombyce isto, de quo modo loquuti sumus: telæ sericæ ex ea materia contextæ vsque ab Indis olim afferebantur: primùm Iustiniani ætate duorum Monachorum opera factum est, vt earum cõficiendarum artificium Byzantij innotesceret, auctore Procopio; refert etiam Ioannes Zonaras Annalium libro 3. & iubeo te consulere amicum tuum Iustum Lipsium in Commentariis ad librum secundum Annalium Cornelij Taciti, ibi de hac re multa scitu digna notata reperies; nonnihil etiam eiusdem meminerunt Hadrianus Iunius, Hieronymus Mercurialis, Iacobus Constantius, & is, quem modò nominaui, Marsilius Cagnatus, atque alij plures, quos hîc referre nullum est operęprecium. Bombyx, gossypium, *ἐριοφόρον δένδρον* non ita distant inter se, vt tu putasti, sed huiusmodi sunt, vt tomenti vsum commodissimè præstare queant, non secus, ac sericum, & byssum; &, vt intelligas, quàm imprudenter hoc affirmem, audi, quęso, Robertum Valturium hominem apprimè doctum. *Tunicas* (inquit De re militari libro 10.) *quibus nudum tegitur corpus pro vsu, & extimatione plerique varias habent, serico, vel bysso plurimis plicaturis impenetrabiles audio: alij spumam ferri solutam in puluerem, & plicaturis iniectam omninò ferri aciem repellere dicunt: nonnulli thuris puluerem probant eo modo congestam; corium apud alios ceruinum succo maceratum probari maximè comperio. Lanas denique aceto coctas ferro resistere in naturali historia auctor est Plinius.* Huius generis indumenta ita ictus excipiunt, vt eos sistant, nec vlterius penetrare sinant, excipiunt inquam pro homine, qui eis inteoctus est. Sed quid tibi vis, cùm ais *gossypium est φρύγανον?* est sanè, sicut etiam bombyx auctore Plinio, qua etiam de re consulere poteris, præter cæteros, Leonardum Fuchsium de Historia plantarum cap. 220. prętérquamquod *δένδρον* fusiore quadam significatione *ἀντὶ τῦ φρύγανυ*, ac vicissim quandoque vsurpari notum est. Demum quod de torulis bilicibus, trilicibus, & quadrilicibus narras, nihil noui narras, ac multò sanè præstitisset, cuiusmodi fuerit armatura ex spongia confecta, quod caput quæstionis erat, quodque Iustus Lipsius in

Saturnalibus

Saturnalibus inexplicatum reliquit, aperire, quàm veterem istam cantionem cum tanto legentium fastidio inculcare, nam de gausape non placet commentum, vt supra ostendi, ac ne tibi quidem, si verum fateri vis, satis arridet isthæc tua *φαντασία*; quinetiam interdum vereor, vt penitus fueris assequutus, cuiusmodi essent loricæ illæ bilices, trilices, quadrilicesque, de quibus est apud Maronem,

Loricam hinc hamis consertam, auroq; trilicem.

nam Turnebus hunc locum ita interpretatur. *Trilices loricæ videntur ex eo appellatę, quòd cùm essent hamis, vel squamis ferreis consertæ, prętereà tribus erant liciis ornatę per eas currentibus.* idem monolores, bilores, trilores, pentaloresque exponit ad hanc mentem. *Ego suspicor monolores fuisse peragaudas vestes, quibus vna tantùm peragauda intexta esset; quibus autem duę, quæ sua latitudine lora æmulari viderentur, dilores, quibus tres, trilores, nam quòd illæ tanquam fascię lori ęquarent latitudinem, & simularēt speciē, ideo suspicor ab historicis, & à populo sic vocatas fuisse.* non affirmo hanc esse veram sententiam, sed volui tibi ostēdere, quàm confidenter soleas interdum loqui de rebus incertissimis, & de quibus adhuc in literatorum Senatu nihil quicquam fuerit determinatum: hoc ego de te, cui quicquid scripsi perpetua litura deleri oportere certum est, nullo pacto dissimulare debui. postremum illud addo, quo dubitationem tuam penitus auferri constat, cum ais. *Ego verò peto à te, quare potius lineum, quàm ex alia materia?* Sallustius à Seruio citatus Aeneid. 11. scribit hunc in modum. *equis paria operimenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumę adnexuerant.* quæras ex eo licet, quare potius linea, quam ex alia materia.

CAPVT XIX.

PVLCHRA disputatio de *thyrso* herbarum, & absque te esset, hac notitia careret nostra ætas, nec satis doctam se putaret à Leonardo Fuchsio, qui vocem illam conatus fuit explicare in suis De historia stirpium Commentariis; Melchior quoque Guilandinus in suis Epistolis, necnon in Papyro (nosti, quid velim) Romberius item Dodonęus, alij complusculi multa de huius vocis notione tradiderunt, tu cunctis doctior, atque eruditior arcana quædam nobis communicare voluisti ex diuinæ tuæ mentis sanctuariis deprompta. Prudenter verò admodum fecisti, qui, dum rem obscuram illustrare studes, Impiæ exemplū nobis proposuisti, quam vix de nomine cognitam habemus; illud verò præclarius multò abs te inducitur in lingua Latina, vt herbæ nō solùm pedes, brachia, capillos habeant, sed dorso etiam præditæ esse dicantur: expecto, vt ventrem, lumbos, renes, nasum, aures eisdem tribuas:

hæc profectò maxima causa est, cur tibi placeas de ista tua diatriba; nam ego quidem tantum abest, vt vllam gloriam ex mea emendatione aucuper, aut propterea insolentius me iactem, vt præclarè mecum agi putem, si culpam vitare potero, quod mea verba indicant hæc, si animaduertisti. *Statui tantisper, dum certius aliquid cognoscerem, eam ita superare, vt legam, ab imo thyrso.* Hoc est insolenter efferri? hoc gloriosius exultare? hoc denique ἐπινίκιον canere? Sed canam sanè pro victoria de te parta, si modò ea tanta est, vt vlla inde laus ad me redire possit; de *thyrso* igitur aliter sentit Fuchsius, cui magis credendum nemo dubitat, quàm tu sentiri oportere censuisti. *Thyrsus* (inquit ille) *est caulis, idque nomen sibi vendicat, quòd virgulę in modum, vel teli rectitudinem consurgit.* sed & Isidorus Originum lib. 17. ait. *Caulis est generaliter herbarum, & olerum medius frutex, qui vulgò thyrsus dicitur, quod à terra sursum conscendat.* & reliqua. vbi hîc illa tua vmbella, quæ herbarum caulem thyrsum esse non sinit? ego semper existimaui vmbellam in plantis nihil prorsus officere, quominus thyrsus thyrsus dicatur, id adeò L. Apulei testimonio hoc corroborari posse autumo De virtutibus herbarum cap. 79. vbi de rore marino fit sermo. *Folia fæniculi similia sed aspera, & rotatim terrę prostrata, & boni odoris, thyrso cubitali, surcoso, cum vmbraculis in summitate.* rursus cap. 80. de Pastinaca. *habet comam, vt fæniculus, thyrsum tenuem, asperum, in quo vmbraculum, & flores paruos tenues.* sed & aliunde etiam hoc, quod dico, perfacilè colligi potest; imò, vt scias, etiam de fœniculo thyrsus dicitur. Apuleius de *Peucedano.* *Thyrsum habet, vt fæniculus, radicem magnam, & nigram grauissimi odoris:* & de ipsomet fœniculo. *Ex eius thyrsis, siue foliis succus sole prę siccatus acuit visum*: ac statim. *Apud Hiberiam etiam succum dimittit tempore, quo florescit, admoto igne ex æstu eius thyrsus succum dimittit, qui prę cæteris melior probatur ad acuendum visum.*

CAPVT XXI.

IAM superius testatus es tantidem facere te, aut malum interpretem me esse, aut malorum interpretum fidem sequi, eum enim probo, quem sequor: itaque Politiano posthabito, totum istud tuum virus in Titium euomes, atque ais, hanc verborum complexionem perperàm à me fuisse conuersam. καὶ μὴ ἐφεστηκυῖαν ἀκριβῶς ταῖς αἰσθήσεσι πρὸς γνῶσιν τῶν οἰκείων. cùm dixi, *Neque penitus sensibus imminentem, vt quę iis propria sunt, cognoscant.* verti enim oportuisse autumas, *quę nostra sunt:* sed tàm certum est te hîc nihil vidisse, quàm meridiè lucere. Tu Alexandrum quærentem facis, Quare in aliquem locum profecti, quò necessariò vocant nos negotia nostra, ad eum cùm perue

nimus,

nimus, eum præterimus: ego autem illius loci hanc esse mentem existimo. Cur sæpè locum quempiam petentes, supple tu, negociis nostris ita exigentibus, nam hoc vel tanquam minimè necessarium, vel tanquam facilè intellectu non expresit illic Græcus auctor, eum ipsum imprudentes prætetire interdum consueuimus? respondet deinde quæstioni, vt dicat, hoc ideo euenire, quoniam noster animus rebus aliis quandoque ita sit occupatus, vt sensuum auxilio non planè vtatur ad ea percipienda, quæ cuiusque sensus propria sunt, hoc est, vt non satis officio suo fungatur, exempli gratia, oculus in percipiendo, quę visu percipi solent, hoc est τὰ ὁρατά, aures in audiendo, quæ in auditum cadunt, nares in olfaciendo, quæ olfactui subiiciuntur, atque eodem pacto de duobus reliquis sensibus; hoc enim est, quod dicitur πρὸς γνῶσιν οἰκείων; atque ita hunc locum præter Angelum Politianum, interpretatur etiam Theodorus Gaza. *Vt sensibus* (inquit) *non planè insistat ad ea ipsa percipienda, quę sua singulis sensibus habentur*. Tu nunc vtroque doctior, & Græcarum literarum intelligentior aliter verti debere animaduertisti, quemadmodū etiam eadē sagacitate deprehēdisti legi debere ὁρῶμεν ἀντὶ τοῦ ὁρῶσι: ego puto vtroque modo rectè scribi posse, nam si ὁρῶσι legerimus, quod fecit Politianus, quem tum ipse auctorem secutus fui, personā mutatam dicemus in oratione, quæ res crebrò occurrit in bonis auctoribus, atque ita sanè vulgatum est in codicibus Lutitiæ impresis à vidua Neparia; si ὁρῶμεν retinere maluerimus cum Gaza, respondebit τῷ ἔχομεν. imprudenter igitur fecisti, qui simpliciter, atque absolutè pronunciaueris ὁρῶσι illic perperam concipi, cùm nullum vitium, vt ostendi, in hac scriptura maneat, neque vlla causa subsit, cur altera alteri præferri debeat. Sed, amabo te, quid aliud valere censes, cùm dico; *neque prestò is est, qui sensibilia iudicat*, quàm vim illam, & facultatem minimè adesse, quæ iudex rerum sensibilium est? nimis quàm duram legem nobis proponis, critice, si tuis omninò verbis Græca Latinè exprimere necesse est. Quòd deinde totum problema ex tua castigatione emendatius te adscribere velle profiteris, aliquid esset, si aut, quod polliceris, te ipsa prestares, aut id vlla castigatione indigeret; nunc cùm vnam tantùm, aut ad summum alteram interpunctionem suo loco restitueris, quæ tamen aliter collocata lectorem nullo modo fallere potuisset, ostendis te vanissimum esse, & lauream, quod aiunt, in mustaceis quæsiuisse. Verumtamen suauissimus es, cùm Horatium ad hoc problema respexisse putas, dum ait, *aut vltra*

Terminum curis vagor expeditis.

si expedire curas trās terminum trāslatio est, vt tu vis, à iaculatoribus, vt,

Sępe trans finem iaculo nobilis expedito.

quomodo,

quomodo,quæſo,ad problema illud referri poteſt,vbi nulla eſt alluſio ad illam rem? hoc ego quidem aſſequi non poſſum: præterea qui locum deſtinatum imprudenter præterit, oſtendit ſe multas animo cogitationes voluere,quibus diſtractus nõ ſatis videre poſsit locum, quò pergit, vnde efficitur, vt aliquantò longius progrediatur: ibi autem Horatius dicit ſe omnibus curis vacuum eſſe;ac profectò qui ſuos amores canit, non ita curis, ac ſollicitudinibus diſtinetur, vt quaſi extra ſe poſitus illarum magnitudine iudicari debeat. O te fęlicem,Villiomare,qui in iſthæc μυςήρια penetrare vales, à quibus nos tamquam ignobile, profeſtum, ac profanum vulgus longiſsimè arcemur.

CAPVT XXII.

GENTIANVS Heruetus, cuius Latinam verſionem in gratiam Lectorum nõ ſatis ἐλλωιοθέντων me non inuitò quidem,ſed nec iubente tamen is, qui meorum librorum editioni præfuit, illuc intruſit,expediet tibi omnes difficultates ſuper vocibus φριξότριχα, σχιζίας, ὑποχάροπόν. Amaſęus item docebit te,cur μύλας genuum vertebras nuncupauerit; neque enim ipſis imprudentibus ea excidiſſe crediderim,ac,quòd ad φριξότριχα pertinet,vt inſcitiam tuam leuiter in tranſcurſu caſtigem, rectè verti puto *criſpo capillo præditum*, vt capillorum ſpecies perpetua denotetur, quæ alioquin, ſi *horripilum* redderetur, temporaria eſſet, nam capilli tunc horrere ſolent,cùm quis rei meticuloſę obiectu commouetur. Virgilius.

Obſtupui ſteteruntq; comę, & vox faucibus hęſit.

Statius; *Stant triſtes horrore comæ.* Homerus Iliad.ω.de Priamo loquẽs

Ὣς φάτο (Mercurius) σιῷ δὲ γέροντι νόος χύτο,δεῖδιε δ᾽αἰνῶς:
Ὀρθαὶ δὲ τρίχες ἔσταν ἐνὶ γναμπτοῖσι μέλεσσι.
Στῆ δὲ ταφών.

Varro de lingua latina lib. 5. *Tremo dictum à ſimilitudine vocis quę tunc,cùm valdè timetur, apparet: tùm etiam in corpore pili,vt ariſta in ſpica hordei,horrent.* vnde ὀρθοκέρως φρίκα apud Sophoclem; φριξότριξ enim valet horrorem inducens à verbo φρίττω: at nullus vmquam timor ita Herculem corripuiſſet, vt ei capilli obriguiſſent; aut etiam de ira percitis illo pacto loqui poëtę nonnumquam conſueuerunt. Horatius,

Horret capillis, vt marinus, aſperis
Echinus, aut currens aper.

ſignificat igitur illic ea vox οὐλότριχον, qui ἀπλότριχῳ opponitur, ſed ſit *horripilus*, vt tu iubes,nolo enim pertinacius tecũ de lana caprina decertare. σχιζίαν *gracilem* interpretatur Heruetus haud prorſus ineptè, quòcumq; tandem illius dictionis originationem referas, nam

ligneus,

ligneus, ἰσχνὸς, macilentus, gracilis penè ἰσοῤῥοπα sunt: Lucretius mulierem ligneam appellauit,

Cęsia, παλλάδιον, neruosa, & lignea δορκάς.

Ὑποχάροπος est *sublucidus*: porrò qui nitidos, ac splendentes oculos habent, præseferunt hilaritatem quamdam, animiq; alacritatem, quæ tristiciei contraria est. Varro παππία πάππω, περὶ ἐγκωμίων. *Antè auris modò ex sobolibus paruuli intorti dimittebantur, sed cincinni oculis suppętulis, nigellis pupulis, quam bilaritatem significantes animi, rictus paruissimus, vt refrenato risu roseo*: hinc Musęus inquit.

-ἄς δέ τις Ἡρὺς

Οφθαλμὸς γελόων ἑκατὸν χαρίτεσσι τεθήλει.

Calphurnius quoque Ecloga 6.

Et ridens oculis, crinemq; simillimus auro.

ergo non absurdè, neque ineptè interpretatus fuit Heruetus *oculis subletis pręditum*. Scio μύλην dici patellam, quę genu operit, siue mauis palmulam, σπόνδυλος verò appellari spinę vertebras à Latinis; vtrumque tamen vocabulum ad alias res quandoq; transfertur ob similitudinem; sic etiam Lucilius *verticulos* appellasse videtur *articulos* ipsos auctore Festo.

Hæret verticulis adfixum in posteriore

Parte, atque articulis, vt nobis talus, genusq; est.

& Iosephus *latum neruum* dicit, quod *acetabulum*, seu *palam* vocant sacræ literæ. καὶ γενομένην διὰ τὴν μάχην ἀλγήματος αὐτῷ περὶ τὸ νεῦρον τὸ πλατύ, αὐτὸς τε ἀπέχεται τῆς τούτου βρώσεως, καὶ δι' ἐκεῖνο οὐδ' ἡμῖν ἐδώδιμον. Petronius Arbiter generatim *vertebras* dixit in Satyrico: & sanè eisdem propemodum muneribus fungitur μύλη in genu, quibus σπόνδυλοι in dorso, veluti ex Galeno sciri potest in libris De vsu partium. Quod postremò de disco παιδὸς πεντάθλου adnotas, manifestò garrulitatem tuam declarat, quam silentio cruciare tutissimum puto memor veteris illius, *Garrulo non respondere, maximum est conuiciū*, sed me tamen continere nequeo, quin saltem Rufi Ephesij locum subindicem, in quo istud μυστήριον περὶ τοῦ παιδὸς considerari nequit: is autem de mola loquitur, quam disci formam referre dicit, δισκοειδὲς κατὰ σχῆμα, ea ossa cuiuis disco comparans, non ei tantùm, quo puer exercetur (tu scripsisti *exercet*, neque in indice erratorum, & omissorum hoc peccatum emendasti) quanti igitur momenti sit istud παιδὸς tibi nunc diudicandum relinquo.

CA-

CAPVT XXIII.

QVID est? quid latras? quid rabis? quid vis tibi? *In versibus Simy li citandis negligens fuisti, omisisti enim poëtę nomen.* Ergo, canicula, quotiescumque veteris alicuius scriptoris auctoritate quippiã confirmare volumus, necesse est perpetuò nomen ipsius apponere, hoc nisi fiat, negligentes iudicabimur? at, ne sis nescius, huius negligentię auctores magnos viros habeo, Quintilianum, Senecam, Ciceronem, Plutarchum, Strabonem, Aristidem, alios plures, quos non ignoras; addo etiam Aristotelem ipsum, cuius hæc sunt verba Ethicorum 5.

καὶ τοι βούλονται γε τοῦτο λέγειν, καὶ τὸ Ῥαδαμάνθυος δίκαιον,

Εἴκε πάθοι τά τ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο.

vides hîc Hesiodi nomen reticeri, cuius hic est versus, veluti Michaëlis Ephesij indicio cognoscitur; alibi quoque idem fecit Aristoteles, vt notum est: itaque cùm Titium acusas, Zoile, Quintilianum, Senecam, Ciceronem, Aristotelem denique ipsum accusas, quos Titius auctores habet, quorumque æmulari exoptat negligentiam potius, quàm tuam obscuram diligentiam: sed & tu quoque ab hoc vitio minimè alienus esse videris, qui diatriba decima ad caput decimũ libri 9. meor. locor. controuers. auctoris nomine suppresso Martialis hoc carmẽ citas.

Sint licet infantis sordidiora sinu.

ac rursus diatriba 15. ad caput 15. libri 10. Virgilij nomen retices in hoc versu, quem profers,

Vina nouum fundam calathis Aruisia nectar.

fortasse & alibi ad eumdem lapidem impingis, quod ego quærere distuli: en quomodo sorex suo indicio perit: atque hoc quidem imperitè, illud verò impudenter, ac temerè, cùm affirmas, Græci poëtę nomen illic à me prætermitum fuisse, nam mea verba manifesti mendacij te coarguunt; dico ego: *sententiam illam, quam particulatim ad poëtices studium transtulit Flaccus epistola ad Pisones, in vniuersum à Symilo prius vsurpatam fuisse comperi.* ac paulò post interiectis Horatij verbis addo. *Quibus respondent hi Gręci poëtæ, citante Stobæo in collectaneis.* quem alium Græcum poëtam significare me putas hoc sermone, quàm quem paulò ante nominaui? *Κρίσιν* non *κριτὴν* legisse videtur interpres: sed & *κριτὴς ἀντὶ τῆς κρίσεως* non absurdè fortasse vsurpabitur Hebręorum exemplo, qui *sanhedrin* pro iudiciis quandoque sumunt, cùm *Iudicem* ea vox propriè designet, hoc est *συνέδρον*, siue *πρεσβύτερον*: & sanè voci *Iudex* in Smyli versibus locus esse nequaquam potest, vt rectè illos intuentibus apparebit. Deinde eius te meminisse par fuit, quod in Commentario Maniliano tradidisti ad illud carmen,

Seque in Arachnea magnum putat esse triumphum;

ibi enim

ibi enim ſic ſcriptum reliquiſti. *Pallas dicitur triumphus, hoc eſt, trium phatrix, quomodo paſtor certamen, hoc eſt certator apud Maronem.* ſic ex aduerſo *coniugium*, & *clientelas* dixit Tacitus pro *coniuge*, & *clientibus*, quomodo *ſeruitium* pro *ſeruo*, *matrimonium* pro *matrona* dictum ſcimus. Χορηγία, *ſuppeditatio* eſt Ciceroni, *contributio*, *commeatus*, *ſtipendium*, *ſumptus*: his enim omnibus modis exponitur hęc dictio in Lexico: quæ expoſitiones Græci poëtę ſententiæ optimè quadrant, ſiquidem hoc ille air. Qui literarum ſtudiis operam dare volunt, ij primùm natura, atque arte inſtructi ad ea accedere debent, deinde non mi nimis ſumpribus opus habent, quò diuerſas prouincias peragrare, libros emere, præceptoribus mercedem ſoluere, ſibiq; in primis victum comparare queant, denique amor deſideratur, exercitium, opportunitas, tempus, iudicium, quod dicta ſtatim arripiat, & intelligat: tu hæc omnia *copiæ*, & *apparatus* nomine comprehendis, & iudicem neſcio in quam rem ſumis: denique ita locum illum interpretaris, vt liquidò con ſtet aliò te mentem diuiſam habuiſſe, cùm iſthæc ſcriberes: atque ego quidem hunc Ariſtotelis locum ex Poëtica reſpexiſſe arbitror. τὸ δὲ διὰ τῆς ὄψεως τοῦτο παρασκευάζειν ἀτεχνότερον, καὶ χορηγίας δεόμενον ἐστίν. & Robortelli reprehenſionem imitari voluiſſe, qui Pactij ver ſionem horum verborum improbauit illud inſuper addens. χορηγίαν *appellauit ſumptum, & operam, quam in ludis ſcenicis adhibere conſueuerant* χορηγοὶ *ab Athenienſibus olim dicti*, & reliqua. ſed certè Simylus nō loquebatur illic de apparatu àliquo ſcenico, ſed de ſumptibus, quos facere neceſſe habent, qui literarum ſtudiis incumbunt. Diuus quoque Hieronymus Præfatione in libros Salomonis ad hanc mentem dixir. *Mittitis ſolatia ſumptuum, notarios noſtros, & librarios ſuſtentatis, vt vobis potiſſimum noſtrum deſudet ingenium.* ſed & Iuuenalis Satyr. 3.

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi. quare intelligis hinc iam aliter aurum, aliter ferrum tinnire.

CAPVT XXV.

LEGENTI mihi hanc tuam diatribam, ſtatim rediit in mentem vetus illud ἐν ψύλλης δήξει θεὸν ἐπικαλεῖται: ſed profectò ita eſt, Deûm auxilio opus habes, vt te, dignitatemq; tuam ſatis hîc tuearis. Pluribus explicas M. Tullij ſententiam ex Victorij caſtigatione, hoc eſt, rem cunctis notam ſuperuacanea interpretatione declarare pergis: poteras ſermonis compendium facere, nam tota hæc pars inutilis eſt, & minimè neceſſaria: ſequitur altera futilis, & vana. *Ergo ita dixit Cicero; quia peperciſti M. Marcello, Cęſar, & te ipſe viciſti, tanta eſt huius lenitatis tuæ gloria, vt tuæ victoriæ, & bellicæ res geſtæ numquā interituræ ſint.*

ego dico trophęa,& monumenta illic apud M.Tullium significare laudem,& commendationem ob animi lenitatē Cęsari partam,hoc sensu. *Huius autem rei*, quòd Marcello videlicet peperceris, & non modò ipsum iacentem erexeris, sed etiam eius pristinam dignitatem amplificaueris, *tu idem es dux, & comes*, non autem eam gessisti multo, magnoq; comitatu, sicut alia, *quæ quidem res*, Marcelli scilicet restitutio, & amplificatio, *tanta est,vt trophęis, monumentisq; tuis*, hoc est laudi, quam inde tibi comparasti, *nulla vnquam allatura sit finem ætas:* subdit deinde differentiam inter Cęsaris, & aliorum monumenta: *nihil enim est*, (inquit) *aut manu factum*, & reliqua; quæ καϑολικῶ sententia ostendit discrimen inter monumenta Cæsaris, & aliorum: innuitur autem hic locus à Lactantio Firmiano Diuinarum instit. libro 7. cuius verba,quæ ad hanc rem pertinent, desiderari non patiar. *Nihil enim Tullius ait esse,quod fit manibus humanis laboratum,quod non aliquãdo ad interitum redigatur,vel iniuria hominum,vel ipsa confectrice rerum omnium vetustate: at verò animi opera videmus æterna.* & reliqua. similis huic est Plinij locus in Panegyrico. *Quod ego titulis omnibus speciosius reor, quando non trabibus, aut saxis nomen tuum, sed monumentis æternę laudis inciditur.* nec longè inferius. *Ac mihi intuenti sapientiam tuam minus mirum videtur,quòd mortales istos caducosque titulos,aut depreceris, aut temperes. Scis enim vbi vera principis, vbi sempiterna sit gloria, vbi sint honores,in quos nihil flammis,nihil senectuti,nihil successoribus liceat: arcus enim, & statuas, aras etiam, templaq; demolitur,& obscurat obliuio,negligit, carpitque posteritas; contrà contemptor ambitionis, & infinitę potestatis domitor, ac frenator animus ipsa vetustate florescit, nec ab vllis magis laudatur, quàm quibus minimè necesse est.* en peruicacia, en ἀλογιςία Titij: subiicis deinde. *Non addo quæ perperam, & ineptè in Isocratis testimoniis vertisti.* Miror vnde isthæc noua in te religio incesserit: Tu, qui plusquam lynceis oculis vniuersum illud meum volumen inspexisti, nec quicquam omninò quà ad res, quà ad verba pertinet,intactum reliquisti,quod non miris modis exagitaueris, nunc ea silentio præterire in animum induxisti, quæ perperam, & ineptè in Isocratis testimoniis conuerti: certè quamuis fatuus, & vecors es, non tamen malitia cares, qui ea,quæ confutare non potes, vis credi nolle confutare: equidem nisi aliunde scirem, probè me locum illum reddidisse, hinc certò mihi liceret intelligere, nihil peccati ea in re me admisisse,quòd tu reprehẽdendi locum reperisti nullum, hæc huius rei minimè obscura coniectura est: sed quęnam tu vocas Isocratis testimonia? ego quidem vnicum illius Oratoris ex Euagora testimonium produco,tu plura somniasti: an non dormitans, stertensque duas has pręclaras diatribas confecisti?

R O-

ROBERTI TITII BVRGENSIS

ASSERTIONIS LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

AN tu homo nihili, fex literarum, corruptela morum Franciſcum Robortellum omnium virtutum, quas in ſe non habebat, in aliis inſectatorem fuiſſe? hæc tu de præclaro illo viro impudentiſsimè effutire audes? qui ſi ſupereſſet, vah quas illi pœnas dares: is efficeret profectò, vt mendaciſsima iſta verba per iugulum tibi redirent: ille, vt ſcias, fuit homo impensè doctus, Græcarum, Latinarumq; ſcientia ex omni parte præditus literarum, multæ lectionis, magnæ eloquentiæ, ingenij exquiſiti: denique, ſi viueret, vnum ex multis haberet noſtra Italia, quem iſti tuo Scaligero Burdoniſsimo, hoc eſt tibi, neſcio cui, opponeret; nam plures alij præterea non deſunt pari doctrina, pariq; ingenio præditi, quos cum tàm infimo milite committere vix dignaretur, denique multò plus Robortellus ſomniando didicerat, quàm tu legendo, neque is vmquam vllum literarium certamen ſuſcepit, in quo eius virtus egregiè non enituerit: habe hæc pauca ad contumelias: venio ad reliqua. Doces nos λειτουργίαν *dici munia publica, quæ quis obire lege, & iure tenebatur*. mea verba. *eſt enim* λειτουργία *munus quoduis publicum*, & λειτουργεῖν *munus publicum obire*. quid nos amplius docuiſti, magiſtelle? ſed Aretinus Philoſophi conſilium reſpiciens ad certam quandam muneris publici functionem deſcendit Latinorum ſcriptorum exemplo, quos illic in hanc rem teſtes dedi, neque verò neceſſe fuit eruditiſsimum interpretem Græca verba ad numerum appendere, ſed mentem, ſententiamq; Latino loquendi genere magis vſitato nobis repreſentare ſat habuit; denique cùm ais, apud Syneſium λειτουργίαν *verbum eſſe Chriſtianum, neque illic locum habere*, pergis eſſe tui ſimilis, hoc eſt ineptiſsimus, ineruditiſsimus: nam quomodo, quæſo, negare potes λειτουργίαν vocem Græcam eſſe, Græcèque ſignificare publici muneris functionem, aut, ſi mauis, ἀποφορὰν, qua mente eã Syneſius illic vſurpat, eademque Chriſtiani ſcriptores in cultu veri numinis deſignando quandoque vti conſueuerunt? quàm multa Græca vocabula reperias apud Chryſoſtomum, Baſilium, Damaſce-

num, Nazianzenum, Origenem, Cyrillum, Epiphanium, Clementem, alios item non paucos ad huius generis Christianorum cęremonias, cultumque diuinum exprimendum translata, quæ propterea Græca esse non desinunt: idem quoque obseruare licet in aliquot Latinis vocabulis apud Arnobium, Lactantium, Tertullianum, Augustinum, Hieronymum, Cyprianum, Gregorium, Ambrosium, reliquos: hinc vox *sanctus*, exempli gratia, Latinissima est, ea tamen in ore Christianorum scriptorum frequentissimè versatur; idem iudicium est de Græcis vocabulis *κοιμητήριον*, *λατρεία*, *αἵρεσις*, *ἐκκλησία*, *πρεσβύτηρος*, *εὐαγγέλιον*, *βλασφημία*, *παροικία*, *διαβατηρία*, atque aliis sexcentis. Penè imprudens præterieram illud *τιμωρὸν*, in quo me *verborum tortorem*, *& contortorem* fuisse dicis: respondeo vocem *τιμωρὸς* valere Latinè *Vindicem*, *vltorem*; apud Synesium verò *βασανιστήν*. *βασανίζειν* est *torquere*, *στρεβλοῦν*, *αἰκίζειν*: *βασανιστὴς tortor, explorator, qui tormentis confessionē exprimit*, consule tuum Lexicon, hæc oīa illic disertè notata inuenies; *tortor* etiam idem, qui carnifex; Prudentius *περὶ στεφανῶν*.

Trepidare teter carnifex rebus nouis. de eodem inferius.

Cessabit equidem tortor, & sector dehinc.

hinc *τιμωρία*, de qua voce consule Gellium, si libet, lib. 6. cap. 14.

CAPVT III.

QVID dicas, ciccum non interduim, & sanè multò præstitisset mutum esse te, atque elinguem, quàm adeò absurda, & futilia blaterare; sed audiamus tamen. *Sed neque adeò frigidus est tractus cæli Alexandriæ Ligurum ad confluentes Tanari, & Padi, vt totam hyemē concreta stupeant illa duo flumina, quod tamen testatur Aelianus.* Redi ad te parumper, mi homo, atque accuratius considera, num affirmet illic Aelianus piscationis illud genus omnibus annis exerceri consueuisse, an illis tantùm, quibus acrior hyems incidisset, ac propterea glacie flumina constringerentur, quod nonnumquam accidere in illo tractu norunt omnes: atque ipsi quidem Arnum gelu vinctum Pisis quandoq; vidimus. addo etiam ab Aeliano illa, atque adeò multis aliis in narrationibus non magis fidem exigendam esse, quàm ab Aristotele in Commentario *περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτ.* quàm verò Græci scriptores interdum fallantur in historia nostrarum rerum, quæ de ipsomet Eridano tradit Pausanias, abundè testari possunt, is enim hoc flumen in Gallia transalpina constituit. Iam virum Mitylenęum de rebus Italiæ loquutum esse, non fit tibi verisimile: ergo eadem ratione neque Aristoteles scripsit *Τυῤῥηνῶν νόμους*, neque Lynceus Samius *Αἰγυπτιακὰ*, neque Hermias Methymnęus *Σικελικὰ*? quid dicemus de Strabone, Plu-

tarcho,

tarcho, Dione, reliquis? denique tibi Aquitano, & in finibus Oceani orto malè creditur affirmanti visum à te Tanarum Alexandria Ligurum transeunte: rem multò verisimiliorem fecisses, si in agro Patauino natum te esse dixisses, qua in re fortaßè nihil peccasses: sed non omitto illud tuum *stupeant*, quod quàm propriè hoc quidem in loco fuerit abs te vsurpatum hæc Plinij verba demonstrant. *Vini natura non gelascit, aliàs ad frigus stupens tantùm.* tu verè stupor, & quidem maximus de fluminibus *stupere* dixisti, quæ hyeme in glaciem cogantur.

CAPVT IIII.

VVILLICHIVM, & Camerarium viros fuisse doctißimos, Grçcæque linguæ in primis peritißimos ipsorum scripta perspicuè ostendunt: de his tu parcius, modestiusque loqui debebas, si vllus pudor in te fuisset: nunc genium tuum sequutus alterius cum quodam contemptu meministi, alterum latenter admodum perstringis in interpretatione verborum Xenophontis. δοκιμάζειν (inquis) *explorare melius vertisses*. an verò melius, optime magister, si *probare*, & *explorare* idem omninò quandoque pollent? quod quis tandem ignorat? διαφέρειν, subdis, *hic est pollere, excellere*. est sanè, cimex, & hoc sibi vult Xenophon; spissa vngula differt à tenui, in quo vero? in eo nimirum, quod bonitate præstat; cùm tuum Lexicon adiuisti in voce διαφέρω, eodem intuitu videre potuisti *excello*, & *differo*: illic enim ita extat. διαφέρω, *excello, differo, præemineo*. κοίλην ὁπλὴν *arduam vngulam* vocare docuit me Camerarius: κοῖλος est concauus, & quoniam equi vngula profundè caua esse debet, vt ait Suida, iccircò κοίλην *arduam* vertit Camerarius, non tàm vocis proprietatem, quàm rem ipsam intuitus, valet igitur κοίλη, ὑψηλή; quomodo ferè ipsemet Xenophon illic interpretatur. ἔπειτα δὲ τοῦτο δεῖ λανθάνειν, πότερον αἱ ὁπλαί εἰσιν ὑψηλαι, ἢ ταπειναί, καὶ ἔμπροσθεν, καὶ ὄπισθεν, ἢ χαμηλαί: cùm igitur post hac leges in tuo Lexico κοῖλος *concauus*, βαθύς, *sinuosus*, *vacuus*: κοῖλος, & ὑψηλὸς *opposita*; *Xenophon*: scias hunc locum non designari, sed alium quempiam, qui mihi modò non succurrit: ergò *arduam vngulam* rectè vertit Camerarius, eam nimirum intelligens, non ad quam scalis ascensus esset, sed quæ Arcadicorum asinorum vngulas æquaret, de quibus dixit Libanus apud Plautum,

Ita enimuerò, sed tamen tu nempe eos asinos prędicas
Vetustos, claudos, quibus subtritæ ad fœmina iam erant vngulę.

quoties mihi iterãdum est ista vestra Lexica labend occasionem nobis præbere? tu non vis χελιδόνα esse *concauitatem vngulę*, ne ὄνυχα *quidem*: at Dictionarij Grçcolatini consarcinator vir doctus, & minimè somniculus

culosus ὑπερ inquit. *χελιδὼν cauitas vngulę equorum*. τὸ κοῖλον τῆς ὁπλῆς τῶν ἵππων. hoc nos Catone contenti sumus.

CAPVT VI.

TV pol homo non es sobrius; hoc me dicere cogit tua ἀλογιςία, quamquam calumnia potius hæc est, quàm vllum mentis vitiũ. Iubeo te vniuersum illud meum caput, quod reprehendis, iterum percurrere; non existimo te tàm effrontem fore, vt negare ausis, te supra omnes impudentes homines impudentissimum esse: tu me innouatorem appellas? tu me Liuij contextum temerasse dicis, qui disertè scripserim? *Cui ego postquam huiusmodi persuasionem extorquere non potui; altius enim eius animum insederat, quàm vt inde facilè eximi posset, vt ei tandem quoquo modo satisfacerem, tametsi nihil prorsus dubitabam de sinceritate veteris, vulgatęq; editionis, dixi non incommodè legi posse*; & cętera. Loquor autem de summo quodam amico meo, cuius nomini honoris, & amicitiæ causa parcere volui: abi dierectum cum istis tuis mendaciis: mirum autem est te non excitasse quæstionem super loco Lucretij illic à me citato,

Inde vbi per fauces pectus complerat, & ipsum
Morbida vis in cor mæstum confluxerat ægris,
Omnia tùm verò vitai claustra lababant.

nam vocabulum καρδία aliter vsurpauit Thucydides, vnde illa sumpsit Latinus poëta, quàm vulgò persuasum sit, vnde lis, controuersiaq; inter Petrum Victorium, & Hieronymum Mercurialem suborta est, de qua idem Victorius copiosius deinde disputat epistola quadã ad ipsum Mercurialem scripta, nonnihil etiam de hac re notatum reperias à Dionysio Lambino ad locum illum Lucretij, neque non item ad illum alterum Horatij Satyræ 3. lib. 2.

-vt solet in cor
Traiecto lateris miseri, capitisq; dolore.

sed hic fermè tuus est mos; ibi sépermagis laboras, vbi minus est opus.

CAPVT VII.

HANC ego disputationem vobis Grammatistis intactam relinquam, & interim quæram, vnde nam factum sit, vt Henricus Stephanus vir benè doctus, &, quod tantidem valet, Transalpinus, in suis ad Chiliadas adnotationibus hanc syntaxim castigare neglexerit: sed quid, si Diogenianus eo pacto loqui voluit aliorum fortasse exemplo, qui verbum illud eadem structura vsurparunt? sed siue ita res se

habeat,

habeat, siue legere oporteat *μέλιτι σεαυτον καταπάσας*, dummodo huic prouerbio lucem aliquam importauerim, operam lusisse videri non debeo: Chiliadum auctorem suo nomine appellare vetat quidem religio; sed mihi, meiq; similibus, qui puram, sinceramq; sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ religionem profitemur, fortasse concedet; neque.n. de me dubitari potest, quod de te, tuiq; similibus propemodum affirmare licet, cùm ita contemptim de ea loquaris: ita tamen auctorem illum, atque eius ordinis alios & hîc, & alibi rectè, ritèq; nominatos volo, si per Conciliorum, Summorumq; Pontificum decreta liceat, fasq; sit: sin minus, indicti, innominatiq; sunto.

CAPVT IX.

HIC mos est nobis Italis librorum conficiendorum, multa legimus, multa obseruamus, omnia diligenter seponimus in nostrum vsum, denique pluribus vndique collatis singula dispicimus, examinamus, cum aliis conferimus, neque aliter tuos Gallos facere animaduerti, quemadmodum etiam disertè testatur Hadrianus Turnebus non vno in loco; quocirca non est, cur mihi vitio vertas, si id facio, quod omnes alij, vestrates præsertim homines in re simili facere consueuerunt, & sanè aliter fieri non posse, quis non videt? sed oportuit Momum sandalium calumniari. Super Lucretij loco hæc mea sunt verba. *Venit mihi in mentem suspicari locum hunc eruditissimi poetæ Lucretij de Epicuro loquentis duplicem sensum continere posse:* & reliqua: rursus in fine, *Velim nunc diligenter secum expendant studiosi, an versus initiò à me citati aliquo pacto hûc referri possint, nam ego quidem non ausim id pro certo affirmare.* tu veritatis vi adactus fateris tandem Lucretium ab Epicuro aduersariorum calumniam amoliri voluisse, qui dicerent, ipsum solis radios intueri non posse, citasque versus hos, quibus ad id allusum fuisse autumas.

Primùm Graius homo mortalis tollere contrà
Est oculos ausus, primusq; obsistere contrà.

quod & ipse quoque libenter agnosco, verissimumque esse fateor, ita tamen, vt illis alteris idem latenter Lucretium innuere voluisse censeã, quod tu nisi egregiè sis impudens, quamquam es impudentissimus, negare non potes; & si negabis, opponam tibi Seruij testimonium in re gemina. Sed in illis carminibus Lucretianis allegoriam subesse ab iis, qui ex aliqua specula sublatis facibus lumen nauigantibus prælucent, ægrè tandem adducor, vt credam, quoniam quidem lumen illud dumtaxat extollitur, vt nauigantes intelligant, quò cursum flectere debeãt; non vt tenebræ dispellantur, & res circumstantes in lucem promantur,

Lucretius tamen inquit *illustrans commoda vitæ.* quod finitimum est illi alteri.

Hunc igitur terrorem animi, tenebrasq; necesse est
Non radij solis, neque lucida tela diei
Discutiant, sed naturæ species, ratioq;

verumtamen sit, quodcumque iubet auctoritas Villiomari: Lucretius voluit Epicurum tueri ab aduersariorum reprehensione, qui ipsius oculorum vitium in eius philosophi dedecus conuertebant. In carmine Lucretij disertè scriptum extat *extollere*, tu fecisti *ostendere*; non dubito, quin aliquid videris in hac re, quod nos, qui oculorum acie non adeò valemus, cernere nequiuerimus; & alioqui sola tua auctoritas quātumuis temerarium factum tueri potest; ita certè vobis persuasum est; ac per me quidem tibi licere volo, vtcumque impudenter agere.

CAPVT XI.

PLVS equidem profeci his sex septem proximis mensibus, quibus tuis diatribis non indiligenter operam dedi, quàm totis viginti annis, ex quo me in doctorum virorum disciplinam tradidi: hoc adeò testatum esse volo, ne te merita laude malignè fraudare velle videar, & alioqui scio, quàm sis ambitiosus, quàmq; omnium cupias haberi summus præceptor. *tenus Europam venire* (inquis) *est ad fines Europę peruenire.* hoc fortasse ferri potest, sed quos fines intelligas operęprecium est diligenter considerare: ego existimabam accipiendos esse proximiores loco illi, vbi is, qui loquitur, reperitur, & ad quos primùm inde peruenitur, vt, si dixero venisse me tenus Gallia, intelligamus attigisse me fines Prouinciæ, non Morinorum, aut Aremoricorum, quod verum est, cùm diuersitas locorum intercedit, quam quidem in hoc sermone semper ferè intercedere necesse est, non dicemus igitur in Italia existentes progressos nos esse tenus Italia, sed Gallia tenus, vel cum adiuncto finibus Italiæ tenus: qui igitur est Burdegalę non potest dicere se peruenisse Europa tenus, sed finibus Europæ tenus, vel aliquem alium particularem locum designare necesse habet, vt constet recti sermonis ratio: tu nunc aliter nos doces ex tua Grammatica, & vis rectè dici *venire tenus Europam* pro ad vltimos fines Europæ, incusatiuumq; recipis pro genitiuo, aut ablatiuo, quod nescio, vnde didiceris. Seruius certè, Laurentius Valla, cęteri Grammatici aliter tradiderunt. Abrahamus Ortelius homo confidentissimus, ac sui valdè admirator per Europam Thraciæ partem quādam accipiēdam esse autumat, quæ vniuersali vocabulo ita particulatim vocaretur, & quæ *Propria* insuper cognominaretur; sed considerare debuit lexicographus iste non potuisse partem

illam à quoque intelligi absque adiuncto *Propriæ*, nisi si is in Thracia tunc reperiretur; modò cùm loquatur Ausonius in Gallia existens, nequaquã tractus ille Thracius intelligi potest; hæc nanus ille cõsiderare debebat, antequam suum iudicium tàm insulsè de me ferret. Ausonij codices Lugduni à Gryphio impressi, aliæ præterea non paucæ editiones Parentalibus omninò carent: primus Stephanus Carpinus appendicem illam Ausonianam auxit, & locupletauit; qui in illas alteras incidisset, facilè hærere potuisset Parentalibus non repertis; hanc ego remoram tollere volui, nam codices ex Vineti, & Scaligeri editionibus hîc apud nos haud passim inueniuntur; itaque non video, cur de eo me reprehendere debueris: & licet eadem opera Petrum Pithoeum virum Gallum benè doctum insimules, atque vituperes, qui Aduersariorum Subseciuorum libro 1. cap. 3. vbi de Beleno, & de diis veterum Gallorum loquitur, ita scripserit. *Et verò planè ignotum id esset, nisi ex Ausonij versibus opera Ludouici Miræi viri optimi, qui nuper magno literarum incommodo decessit, ex Carpini libro editis, didicissemus:* & quæ ibi sequuntur.

CAPVT XIII.

NIHIL mentiris, cùm ais. *Victitare sorbilo quid esset, alij ante te docuerunt, item de ostreato tergo.* nam Turnebus, & Lambinus duo lumina vestræ Galliæ interpretantur. *Video mihi propter te vapulandum, & gemendum, suspiria enim, & gemitus vapulantium imitantur spiritum sorbentium, tergus ostreatum, tergus verberibus, & vulneribus duratum, vt sunt ostreorum testę.* quod cùm ita sit, non video tamen, cur eamdem rem attingere non potuerim aliter eam interpretando, nam *victitare sorbilo* mihi ducitur ab ægrotorum victu, & *ostrea tum tergus* à tumore ostrearum, quod simili Iuuenalis illustraui, de quo alij non meminerunt, ac ne Iacobus quidem Durantius, qui loco illi post Turnebum, & Lambinum lucem intulit in suis Variarum libris; addo nunc Terentij testimonium ex Adelphis,

-pręterea colaphis tuber est totum caput.

vide quàm sis iniquus, Villiomare, Hadrianus Turnebus, & Dionysius Lambinus, qui interpretationes suas Bernardo Saraceno, & Ioannipetro Vallæ Plauti enarratoribus surripuerunt, non reprehenduntur; Robertus Titius, qui nouam expositionem adduxit, furti crimine reus agitur; vtriq; verissimum est, quod aiunt, τὰ τῶν φώρων χεἰρττω. cùm videas hinc non satis mihi cum tuis Gallis cõuenire, intelligis rem tàm claram non fuisse, quàm tu eam esse facis.

CAPVT XIIII.

EXPEDITISSIMAM elabendi rationem inuenisti, cùm ais, *Ego totum istud caput tuum vna litura emendandum censeo.* eia strenue vicisti iam; sed & nos æquè triũphabimus, si dicamus, totũ istud tuum caput transuersa linea induci oportere: at, at; fugit me ratio, prçterierã imprudens partem illam, quæ extat in tua diatriba. *Oro te, quę cognatio est pueri cũ potu?* dicam seriò, nihil plus sapis in literis, quàm asinus, quàm vetuex; si tenuisses vim προσδοκίας, & quibus in rebus ea adhiberi soleat, intellexisses, numquam tàm insulsam vocem effutisses: imò verò, vt scias criticorum ocelle, quantò minor cognatio rebus inest, tantò magis enitet festiuitas sermonis illius, quæ prorsus perit, si propior aliqua similitudo intercedit, debet enim esse παρὰ δόξαν: declaraui rem illic pluribus verbis, eamdem exemplis appositis illustraui: tu es tàm fungus, vt ne sic quidem Maronis locum assequaris; quid posthac abs te expectandum sit, hinc iam non dubiè colligi potest.

CAPVT XV.

PROFECTÒ ingens monstrum superasti, à quo magnum periculum mitioribus studiis impenderet, nisi tu, quasi alter Hercules, cum eo manum conseruisses. Si vlla Nonij, ac Fulgentij exemplaria vsquam reperias, in quibus aliter, quàm μύωπας exaratum extet, non recuso, quominus ipse pro te Burdo vocer; ac non modò Nonius, & Fulgentius μύωπας perspicuè scribunt, sed & Paulus quoque Aegineta, Gellius, Budęus, Erasmus, Victorius, Brissonius, Spiegelius, Gorrçus, Cagnatus, Dictionaria tùm Græca, tùm Latina, omnes denique, quicũque huius vocis vmquam meminerunt: tanto otio tantus miles abundasti, vt cum operis typographicis congredi volueris, cùm ingens alioqui campus, vt tu credi vis, tibi pateret ad mea peccata exagitanda? aut non curanda gloria est, inquit amicus tuus, & verè inquit, aut ex grauioribus rebus petenda est.

CAPVT XVI.

VIDEO te verbis magis, quàm iudicio abundare, ita omne tuum præsidium in lingua collocatum habes; nam quod hîc affers de *lęta cupressu*, merç mugç, & Orestis somnium: credo te benè potum huic diatribæ inuigilasse, an indormitasse dicam? certè sanum, integrumque iudicium non habebas, quamquam tu numquam sanæ mentis

tis fuisti; *letas arbores* Latini vocant, quæ in suo genere optimè proue niunt, quæque suo aspectu gaudium promunt. Gellius lib. 11. *At sępè videas arborem lętam, & nitentem in locum alium transpositam deterioris terrę succo deperisse:* quod totidem verbis extulit Macrobius Saturn. lib. 5. cap. 11. hinc *olineta* quoque appellamus *lęta*, & nihilominus Virgilius dixit.

-prolem tardè crescentis oliuę.

sic etiam Lucretius *vineta lęta* nominauit,

Prata, lacus, riuos, segetes, vinetaq; lęta.

ergo *lęta cupressus* nuncupatur vel quæ fęliciter prouenit, vel quæ suo aspectu lætos nos reddit; Cornelius Celsus citante Nonio in *Cyma*, *Lętam, formosamq; cymam* dixit: ne te, quæso, pigeat consulere Laurentium Vallam Elegantiarum libro 6. cap. 12. cogitabam etiam num fortè legi posset in carmine illo Virgiliano *Recta*,

Ilicis & nigræ species, & recta cupressus.

nam sic erat apud Ennium,

Capitibus nutantes pinos, rectosq; cupressus.

sed tunc demum *recta* substituemus, cùm planè constiterit *lęta* expungi debere, quod numquam tamen constiterit, nam sic ait Tacitus Historiarum lib. 2. *Cupressus arbor in agris eius, conspicua altitudine repentè prociderat, ac postera die, eodē vestigio resurgens, procera, & lętior virebat.* De Theocriti loco attuli sententiam Græci interpretis; huic tu nihil respōdes; sed ῥαδινὸν poëtis valere dicis procerum cū flexibilitate, quod & ego quoque fateor, ita tamen vt flexibilitas hæc non respondeat lentitudini Latinorum, à qua lenta viburna, lentum vimen, lentæ hederæ, hoc est flexuosę auctore Nonio Marcello nuncupantur, vnde ῥὶψ παρὰ τὸ ῥέπω, sed ei potius, à qua arbores dicuntur facilè vento quati, & commoueri, quod est ῥαδινὸν Theocriti ex scholiastæ interpretatione: itaque res eòdem recidit; nec tu nouus Proteus elabi potes.

CAPVT XVII.

PAVLò post ἀνώνυμον epigramma Ausonio tribuam, nunc Ausonij quod est, innominato adscripsi: nullus reperitur tàm malus sagittarius, qui frequenter iaculando scopum interdum non attingat, neque tàm infœlix lusor, qui sæpius iaciendo Venerem aliquando non faciat: vnus ego sum, qui iudicio tuo numquam finem optatum assequar: sed videamus tamen quantùm fidei tibi adhiberi oporteat, de me tàm abiectè sentienti, ac tàm absurda prædicanti. Vis ἀδέσποτον esse illud,

Vngues Mercurio, barbam Ioue, Cypride crines.

hoc ego sic confiteor. *In hunc versiculum ἀδέσποτον confecit epigram-*

ma suum Ausonius, vt confutaret. Nego, & negando summa voce clamo, quoad vires valent; sed & hoc item epigramma *ἀδέσποτον* esse contendo. Vidisti, opinor, editionem Burdegalensem cum Vineti Commentariis; ad eius editionis calcem adscripta leguntur aliquot veterum quorumdam poëtarum carmina, quæ inter Ausoniana adhuc seruata esse dicuntur, inter ea carmina reperitur epigramma illud, quod tu Ausonio asseris, quamquam Vinetus ipsum eius auctorem non agnoscit, ait enim; *Hoc carminis maioris fragmentum inter idyllia Ausonij, sicut & alia quędam post carmen de ærumnis Herculis repertum, in hunc postremum locum cum aliis, quę non sunt Ausonij, transferre nihil sum veritus.* ad illum verò *ἀνώνυμον* versiculum sic ait idem senex eruditus. *Hęc autem qui refellit, probat barbam esse præsecandam non die Iouis, sed Martis. qui refellit* (inquit) non igitur constat epigramma illud esse Ausonij, nec tu id aliquo argumento, quod in hac contentione opus fuit, probare studuisti: verumtamen res tanti non est, vt de ea pluribus disputare velim: verè quæstio fuit de lana caprina. Ad carminis explicationem quòd attinet, ego Vineti sententiam iccircò reiiciendam puto, quia de Endymionis caluitio nusquam lectum est, veluti etiam Vinetus ipse illic disertè fatetur; atque hęc vna ratio est, cur illius sententia mihi non probetur; sed tu in vesticipe illo adolescente senectutem, canitiem, atque adeò caluitium ipsum statim reperisti subtili quadam ratione, & ex intima tua Dialectica deprompta; atqui, vt somnus abfuisset, idẽ nihilominus Endymioni accidere necesse fuisset, si tuam argumentationem sequi volumus; ac non modò amasium illum decrepitum iam haberemus, sed & Venerem, & Dianam, Bacchum etiam, & Appollinem, quibus semper est æterna iuuenta, canos, caluosq; esse iam fateri nos oportebit; pulchellum sanè Lunæ amasium nobis narras, & quem Aurora plurimùm ei inuidere debeat: neque verò est par ratio somni Epimenidis, nam de huius senio præcisè meminerunt veteres scriptores; Plutarchus in Commentario, quo quærit, An seni gerenda sit Resp. *τὸ μὲν γὰρ ἐν γήρᾳ πολιτείας ἄρχεσθαι καὶ μὴ πρότερον ὥσπερ Ἐπιμενίδην λέγουσι κατακοιμηθέντα νεανίαν ἐξέργεσθαι γέροντα μετὰ πεντήκοντα ἔτη.* de illo altero traditum est Lunam ab Ioue impetrasse, vt quicquid ille vellet, obtineret, optauit Endymion perpetuum se dormire somnum *ἀθάνατον καὶ ἀγήρων ἐόντα*, qua in re Tithonum prudentia longè superauit: ergo Endymion in suo somno neque insenescit, neque caluescit, queadmodum tu ridiculè nimis existimasti: sic etiam septem illos fratres annos centumseptuaginta obdormiuisse tradit Nicephorus, qui cùm tamdem euigilassent, nullum corporis detrimentum passi sunt. Nec etiam mihi placet, vt dicamus, ad Faunum respexisse poëtam ob plurium numerum, quo vtitur in illo versu,

Mauors imbelles, & caluos Luna adamasti.

ſi enim de Fauno tantùm intellexiſſet,non *caluos*, ſed *caluum* ipſum dicere par erat, præterquamquòd fabella illa Maronis, ſi Seruio eius interpreti credimus, ad Endymionem potius, quàm ad Faunum referri debet. Hactenus mihi videor tuas ineptias ſatis, ſuperq; confutaſſe, nũc vereor, vt me expedire queam ob iſtam tuam mirificam Logicam, itaque totam hanc partem intactam relinquam illud interim à te ſummopere petens, vt nos rationem doceas, quamobrem Lucianum commentum illud de Lunæ orbe,hominibuſque in ea habitantibus confinxiſſe putes, & an cenſeas ipſum temerè,atque inconſultò res illas commentũ fuiſſe,an aliquid potius ſpectaſſe,quod à ratione minimè abhorreret; hæc tu pro tua prudentia nobis explicabis, & fiet interim, vt lucem videas diſpulſis tenebris, quæ te tàm diù occuparunt. Aliud enthymema debet ex mea Logica ita formari. Quia Luna caluos amat, iccircò calui à Syneſio lunulæ vocantur, ſic fermè dicuntur viri Mercuriales,qui in Mercurij ſunt tutela, aut ab eo diliguntur; Horatius,

-niſi Faunus ictum

Dextra leuaſſet, Mercurialium

Cuſtos virorum. quocirca non eſt, cur tibi abſurdum videatur, ſi quis dixerit *Gallos à Gallia amari, Italos à terra Italia*, nam Virgilius ait,

Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.

Alterum ſyllogiſmum non omninò peſsimè concluſiſſes, ſi quò pertineat mea illa admonitio intelligere potuiſſes, quæ ſanè non debet amplius referri ad amores Lunæ,vt tu imperitè nimis putaſti, ſed ad expoſitionem vocis σελλόα, qua quidem in re valdè me anhelare oportuit ob Hadriani Turnebi auctoritatem, cuius ſententiam tunc improbabam; nam tuum ϛιλπνὸς nihil plus efficit, quàm vt adhuc quęramus, cur calui dicantur ſplendere,qui Turnebo tamen nihil lucere viſi ſunt; & eſt nihilominus lõgè diuerſa ratio illius vocis ad caluos relatę,quàm tu exiſtimaſti. Dicis præterea *raſos non poſſe eſſe ϛιλπνὺς, ſed eos duntaxat, qui à natura calui ſunt.* niſi Apuleius pro me fideiuberet, apprehenſa auricula in iudicio me ſiſteres, nunc quoniam anteſtari licet, en tibi Apuleium in vndecima Mileſia. *Tunc influunt turbę ſacris diuinis inſtitutę, viri, fœminæq; omnis dignitatis,& omnis ætatis; linteæ veſtis candore puro luminoſę: illæ limpido tegmine crines madidos obuolutæ: hi capillum deraſi funditus vertice prę nitentes, magnę religionis terrena ſydera:* & reliqua. *Vertice prę nitentes*] *qui deraſo ſunt capite* (inquit Beroaldus) *verticem habent ſplendicantem*; poſſum& Ammianum in eamdem rem teſtem dare, qui ſcripſerit lib. 21.de Conſtantij habitu corporis loquens. *raſis aſſiduè genis lucentibus ad decorem vſque.* Diodorus Siculus

lus de Celtis loquens libro 5. scribit ad hunc modum. *τιτάνῳ γὰρ ἀποπλύματι σμῶντες τὰς τρίχας συνεχῶς καὶ ἀπὸ τῶν μετώπων ἐπὶ τὴν κορυφὴν καὶ τοὺς τένοντας ἀνασπῶσιν, ἵνα διαφανεῖς ὦσι, ὥστε τὴν πρόσοψιν αὐτῶν φαίνεσθαι σατύροις καὶ πᾶσιν ἐοικυῖαν*. hic Celtæ calcis ope assequuntur, vt anteriore capitis parte calui sint, & nihilominus eos splendere dicit Diodorus, nam Satyri, & Fauni *σιλπνοὶ* pingebantur: sed & Martialis distichon, quod infra apponam, idem manifestò confirmat: non modò autem poëtæ *caluo* pro *raso* vtuntur, sed qui prosa quoque oratione scribunt. Varro De re rustica lib. primo. *Ego ista etiam (inquit Agrasius) non solum in ouibus tondendis, sed in meo capillo à patre acceptum seruo, ni decrescente luna tondens caluus fiam*. Nonius De doctorum indagine. *Qui liberi fiebant, ea causa calui erant, quòd tempestatē seruitutis videbantur effugere, vt naufragio liberati solent. Plautus Amphytr. Vt ego hodie raso capite caluus capiam pileum*. ad hanc mentem dicebant Hebrei *caluitium facere*, & *caluitium inducere*, quam phrasim Diuus quoque Hieronymus in Commentariis, super Ezechiele vsurpauit: quibus exemplis responsum etiam velim Laurentio Vallæ quærenti in suis obseruationibus ad caput 11. epist. ad Corinthios, *cur Apostolus dixerit decaluetur, & decaluari potius, quàm deradatur, & deradi*; vicissim autem *rasum* pro *caluo* à poëtis vsurpari non affirmauerim, neque enim huius *ἀποχρήσεως* vllum exemplum mihi succurrit: Ex his autem omnibus consequitur, si rectè syllogismum colligere noui, vt *ridere* in Petronij epigrammate sit *nitere*, vel, postquam ita vis, *σεσηρέναι*, hoc est lętum, hilaremq; esse, nam certè pro *denudare* sumi posse Græcorum exemplo numquam probabis, longè enim alia ratio est Græci, ac Latini verbi, vt docent Ethymologici. Verùm esto *ridere* sit *denudare*, nonne Gallica niue frigidior redditur Petronij sententia? hoc enim dicet: nunc, postquam capilli ceciderunt, tempora nudata sua vmbra mœrent, areaq; nuda est attritis capillis, quàm venustè repetuntur *τὰ nudata καὶ nuda est*? deinde quis ignorat aream nudatam esse capillis, si ij ciciderunt? non ita loquutus fuit Martialis epigrammate ad Polytimum libro 12.

Talis eras modò tonse Pelops, positisq; nitebas
Crinibus; vt totum sponsa videret ebur.

Si *denudare* tamen tantopere probas, atque hunc intellectum verbo *ridere* subesse contendis, non inuidemus tibi tua frigora; hybernes in istis niuibus, quamdiù tibi volupe est.

CAPVT XXI.

QVAECVMQVE ex Iosephi Scaligeri officina non prodeunt, ea nec recta, nec satis expolita esse fateri nos oportet, si te placatiore vti volumus, & sanè Bacidis oraculum iamdiù accepimus, *Si is moriatur senex, per hos λεοχυνδύτας non stabit, quominus literarum interitum videat*. tetrasticha igitur de mensibus longè correctiora edidit Iosephus Scaliger, quàm fecerit Aelias Vinetus, eademque non sunt Ausonio accepta ferenda, sed ἀνωνυμῷ cuidam. Prius de priori: Scaliger edidit,

Deuotusq; satis incola Memphidiis.

hanc tu scripturam castigatiorem esse latenter indicas; cuius tuæ sententiæ adhuc rationem expecto; interpretationem quidem video, sed donec ostenderis, quænam absurditas consequatur ex lectione Vineti, non intelligo, cur tuam illius explicationi præferre debeas, aut possis: adhuc igitur sub iudice lis est; nam quod ais tetrastichon illud in multis calamo exaratis membranis eo pacto spectari, non euincit, vt non altero quoque modo concipi possit, nam certè Vinetus non obtrusisset nobis suum commentum pro vetere scriptura, nisi de eo sibi constitisset ex fide veterum librorum, quos ipse consuluit, est enim Transalpinus, non Italus; Ad alterum de auctore illius tetrastici, aliorumque de mensibus nego Vinetum ἀνωνυμῳ poëtæ illa tribuere, sed ipsi Ausonio disertè accepta referre aio: teque Villiomarissimum, hoc est mendacissimum, prostitutiq; pudoris esse constanter affirmo, quod inde etiam liquidò percipi posse arbitror, cùm ais; *Quis sanus, Roberte Titi, semina in saccis reposita, vbera vocauerit?* nam horum quidem alterum, quamquam dubitanter, ait tamen illic Vinetus, alterum autem ferè affirmat non obscuris verbis, Vinetus inquam, quem tu alibi eruditum senem vocas. Ad meam expositionem quod attinet, res expeditissima est, nam neque ego isthoc pacto vmquam argumentatus fui, nec verò mihi in mentem venisset tàm subtilis ratiocinatio: mea verba sunt hæc. *Rectè autem stercus, vber appellatur, quoniam eo perinde, ac infantes nutriuntur lacte, agri aluntur, atque impinguantur, vnde vber glebæ legas apud Maronem, id est fœcunditatem, quę nimirum ex stercoratione prouenit*. hoc est, vt magis adhuc meum consilium percipias: fimus rectè lac agrorum nuncupatur, quia sicut infantes lacte nutriuntur, ita & agri fimo; corbes, vbi is continetur, mammas non absurdè nuncupabimus in simili persistentes; eadem quoque ratione dicimus vinum lac esse senum, vulgò il vino è la poppa de' vecchij, & quod Græco prouerbio fertur τῆς ἀφροδίτης γάλα; sic dixit Homerus Iliad. ι.

Εἴδεχεν

Εἴδεχεν Ἄργος ἱκοίμεθ' Ἀχαϊκὸν οὖθαρ ἀρούρης,

Γαμβρὸς κέν μοὶ ἔοι. sic Cęſar Vopiſcus campos Roſeæ dixit Italię ſumen eſſe; ſic fermentum terræ, atque alia huius generis plura tranſlatitiò vſurpamus: tu ex tua Logica mirificum ſyllogiſmum confeciſti, cuius ratio à doctis viris adhuc ignoratur: prome noua pręcepta ex tua arte Dialecticæ.

CAPVT XXII.

QVID tu affers indoctorum præſegmen, pędagogorum ſterquilinium, cur tibi credi debeat omninò verum eſſe ἐγκύκλια βιβλία Ariſtotelis fuiſſe, in quibus ἐγκυκλὶν παιδεία contineretur? nondum eam in literis auctoritatem adeptus es, vt illud Pythagoricum de te niſi per contemptum vſurpare liceat, αὐτὸς ἔφα. ac, quantum video, numquam efficies, vt tibi iniurato, ac ſine teſtibus quicquam credatur: de libris ἐγκυκλίοις obſcurior inueſtigatio eſt, quàm vt paucis verbis commodè poſsit expediri, & extat hac de re ſanè quàm longa diſputatio Theodori Zuingeri in ſuis ſcholiis ad libros Ethicorum Ariſtotelis, vbi etiam videndi ſunt Euſthatius, Victorius, Camerarius, Perionius, Strebæus, Lambinus, alij; neque non item conſulere poteris, præter cæteros, Octauianum Ferrerium in Commentario De ſermonibus Exotericis, Franciſcum Patritium libro 6. tom. 1. Quæſtionum Peripateticarum, & Franciſcum Luiſinum lib. 2. παρέργ. quem à Iuſto Lipſio amico tuo mutuò ſumes; eum te legiſſe non pœnitebit: quod hi eruditi viri explicare nequiuerunt, tu vnico verbo doces, atque explanas: macte tua virtute, Villiomare: quòd initiò ſcribis Laërtium meminiſſe duorum librorum ἐγκυκλίων, quos ſcripſerit Ariſtoteles, in eum Lodouicum Strebęum auctorem ſequeris; at in meo Laërtio ego quidem nihil tale inuenire potui, ac Zuingerus quoque id ſe reperire non potuiſſe teſtatur, quod vt multò apertius pateat, hominis Tranſalpini verba viſum eſt adſcribere; inquit igitur ille. *Etſi enim ἐγκυκλίων non meminit* (de Laërtio loquitur) *enumerat tamen commentariorum ἐπιχειρηματικῶν libros tres*, & reliqua: ais tu. *Ratio in ſe recurrens eſt vnius rei, at mutua è regione τῶν πρός τι reſpondentia duarum rerum eſt: diſtichon in ſe recurrens, & ἀντιστρέφον erit illud Præcipiti modò, & cætera. non ſunt duo ἀντιστρέφοντα diſticha:* hanc ſinuoſam quæſtionem tibi diſſoluet Marcusantonius Maioragius in Cõmentariis ad locum Ariſtotelis initio primi libri Rhetoricorum, vbi varias huius vocis ἀντιστρέφος notiones explicat; cuius vnam eo carminum generi, de quo in preſentia diſputamus, optimè conuenire certum eſt, itaque nihil peccatum à me fuit, cùm illo pacto loquutus ſum. De Sotadeo

carmine

carmine nihil amplius ſcire laboro, quàm quod ab Iulio Cæſare Scaligero doctus fui Poëtices lib. 2. qui & Hyle nuncupatur, vbi & illud,

Roma tibi ſubitò motibus ibit amor,

inter huius generis carmina collocat, & *δίαυλον* appellari ſcribit, quòd per eadem elementa in eo fiat recurſus: omnes igitur has carminum ſpecies, atque alias illic à me allatas inter reciproca rectè numerari auctor eſt Diomedes libro 3. vbi De verſuum generibus loquitur: voco autem ſpecies, quod fieri interdum poſſe tu tantus Dialecticus minime ignoras; atque hac ratione Philelphi illud *Laus tua* & cætera. inter Recurrentia proculdubio reponemus: non putaui autem quicquam referre illius epigrammatis auctorem præcisè nominare, ac ſanè Iulius Cæſar Scaliger, quem vel in minimo erraſſe nefas eſt exiſtimare, idem epigramma auctoris nomine ſuppreſſo in exemplum adduxit libro nu per citato, quòd ſi quid momenti in hac notitia eſſe putas, ſcias illud,

Sacrum pingue dabo, nec macrum ſacrificabo;

ad Politianum auctorem referri: ſed de verſibus ſuperioribus, atque aliis huius generis pluribus operęprecium eſt conſulere Iacobum Mazzonium florentis hominem facundiæ, & rerum, literarumq; veterum peritiſsimum illo ſuo opere, quo Dantis poema à quorumdam reprehenſionibus tuetur, vbi carminum affectus à diſpoſitione doctè, & copioſè proſequitur, cuius etiam verbis reſponſum eſſe velim alteri tuæ diatribæ *περὶ τῶ βυστροφυδὸν*; ac certè mirum eſt adeò te veritatem odio habere, vt perpetuum ei bellum indixiſſe videaris; peto abs te, Villiomare, vt adiectiuum nomen fingas ab aduerbio *βυστροφυδὸν*, vel potius adiectiuum doceas, vnde id fuerit deriuatum, quò carminis illud genus per ſuos caſus flectere poſsimus; interim tamen ſequi me iuuat Amaſei conſilium in illis Pauſaniæ verbis exprimendis, neque enim prorſus dubito, quin id longè rectius ſit, quàm iſta tua ſomniculoſa *φαντασία*. addis deinceps; *Hic de verſibus poeticis nulla mentio, ſed de verſibus, & lineis ſcripturę: in vrna enim illa hexametrum ſcriptum erat more, quo nos ſcribimus*: vnde efficitur hexametrum non eſſe verſum poëticum: hæc tu nos doces, & non exibilaris? Extremum illud addis, quod & initio quoque dixeras, *ἐγκυκλίυς videlicet libros fuiſſe τῆς ἐν κύκλῳ παιδείας, & illis orbem totius humanitatis complexum Ariſtotelem fuiſſe*. ad quod nihil reſpõdebo, ne de eodem plura narrando fatigem lectores, pręſertim cùm ſuperius de hac re nonnihil attigerim: illud potius diluere præſtat, quod me dicentem facis. *Ais, quærendum eſſe, an veriſimile ſit Ariſtotelem hęc ſcitamenta conſectatum eſſe in philoſophię decretis poſteritati prodendis*. hoc ego ita quærendum eſſe admoneo, vt perſpicuè oſtendam id nullo modo fieri potuiſſe, hoc eſt nequaquam veriſimile videri Ariſtotelem eo carminum genere philoſophiæ

decreta fuisse complexum: est autem argumentum ab absurdo, siue ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου, quod te non vidisse cum risu admiror: certè mea verba non modò id non obscurè indicant, verumetiam manifestissimè clamant; sunt autem hæc. *Mihi quidem non modò non verisimile, sed prorsus ἀδύνατον videri solet*: sed tuæ aures ad vocē veritatis obsurduerūt.

CAPVT XXIII.

RECTISSIME sterilis arboris persimilem te dicemus, nam cùm non habeas res pro pomis, spargis verba pro foliis: hîc certè aut nihil omninò dicis, aut ita loqueris, vt satius multò fuisset istam linguam radicitus extirpasse, & canibus deuorandam obiecisse: ain' verò Horatium agros non simpliciter *hispidos*, sed *pluuia hispidos* intelligere: ò eximiam ingenij tarditatem; an non hæc ipsius sunt verba?

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros. quæ tu sic interpretaris *Non semper imbres manant nubibus in agros hispidos imbribus.* hic enim verborum ordo esse debet ex tua sententia; egregiè, vt tuus est mos; neque hoc tantùm ais, sed *horridum* & *hispidum* idē prorsus valere putas; itaque sicut pluuia, & tempestas *horrida* vocatur, ita & *hispida* dicetur te auctore; numquam vidi hominem ineptiorem: nolo istud tuum puerile iudicium pluribus exagitare: tantùm dicam Bernardinum Parthenium virum doctissimum, & qui de poëtis omnium optimè iudicare potest, ad illum Horatij locum ita scripsisse in suis Commentariis. *Cur hispidos agros dixerit poëta non displicet Roberti Titij expositio existimantis per agros hispidos significari agros iam maturis frugibus horrentes, vt in spicis videmus, quæ sole adustæ horridæ sunt.* hoc ego iudicio contentus, conuicia tua tantum curabo, quantum Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas: sed non me tamen contineo, quin sententiam meam te statiorem faciam Homeri verbis, vt magis etiam intelligas, quàm in literis cęcutire soleas, loquitur autem Homerus de Menelao ad hunc modum Iliad. ψ.

τοῖο δὲ θυμὸς
Ἰάνθη, ὡσεῖτε περὶ σταχύεσσιν ἐέρση
Ληΐου ἀλδήσκοντος, ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι.

Agri horrent spicis, spicæ horrent aristis. Varro de lingua latina lib. 5. *Tremo dictum à similitudine vocis, quæ tunc, cùm valdè timetur, apparet; tùm etiam in corpore pili, vt arista in spica hordei horrent.* inde horrea nuncupantur. *Hinc panarium* (inquit idem Varro eodem volumine libro 4.) *vbi id seruabant; sicut granarium, vbi granum frumenti condebant, vnde id dictum, nisi ab eo, quod Greci κέγχρον, à quo Græcis quoque*

granum

granum dictum, & in quo eadem conduntur, horreum ab horrido. hûc accedit recentioris Grammatici testimonium, quod & ipsum adscribam, si eo fortè quicquam mouearis: Christophorus igitur Landinus ad illud Horatij,

Illum, si proprio condidit horreo
Quicquid de Lybicis verritur areis. ita inquit.

Sunt, qui dicant granaria, apud antiquos dicta esse horrea, quasi hordea, quia illud antiquissimum genus frugum fuerit, vt etiam apparet apud Homerum: alij horrea, quasi horrida propter asperitatem aristarum, quoniam prisci fruges in suis spicis cum aristis in granariis condebant. Iacta nunc te, simiole, supra omnes Italos, certè habes, cur cristas tollere debeas, inscitiam videlicet, arrogantiam, impudentiam, maledicentiam, & quid non? his ego virtutibus inferiorem me tibi esse libenter fateor, ac præmefero.

CAPVT XXIIII.

DISCAT Græcè Gentianus Heruetus, antequam Græca Latinè vertat. *Σέλευκος ἀνεχαράττετο τῇ γλυφῇ. quam insculpebat Seuleucus*: rectè, & benè, &, si vis ad numerum Greca verba tibi appendi, adde *sigillo*; est autem hoc loco *sculpere signare*, *ceræ imprimere*. Modestinus Iurisconsultus libro 12. Pandectar. *Lege Cornelia testamentaria obligatur; qui signum adulterinum fecerit, sculpserit.* Diodorus lib. 2. *τὴν ἰδίαν ἐνεχάραξεν εἰκόνα, δορυφόρους αὐτῇ ἐπιστήσασα ἑκατόν. ἁλιεύων τις: piscans aliquis.* & hoc æquè probè, siquidem *ἁλιεύων* participium est *ἀπὸ τοῦ ἁλιεύω*, cuius *ῥηματικὸν* est *ἁλιεύς*: neque verò designat Clemens eum, qui piscaturam exerceat, sed qui vtcumque piscibus capiendis incumbit, quàmuis nô sit exercitio ipso piscator, nam potest quis piscari, qui non sit piscator, & esse piscator, qui tamen non piscetur: sed, vt cuncta tibi concedam, adhuc probè vocem illam reddidit Gentianus; *piscans* enim, & *piscator* promiscuè, nulloq; discrimine interdum vsurpantur; sic *Venans*, & *venator*, *vians*, & *viator*. Gratius de Venatione.

Dona cano diuum, lætas venantibus artes. Ouidius.
Aptaq; venanti Gratius arma daret. idem Gratius.
Quid, qui dentatas iligno robore clausit
Venator pedicas? Prudentius altera præfatione Apotheoseos,
Manus latronum, quæ viantes obsidet. & Hamartigenia.
Non aliter, quàm cùm incautum spoliare viantem
Fortè latro aggressus. Iuuenalis.
Cantabit vacuus coràm latrone viator.

sic dixit Aristophanes Acharnensibus,

Μὴ μοὶ φθανήσητ᾽ ἄνδρες οἱ θεώμενοι:
θεωμένους appellans ipsos θεωτάς: cuius exemplo deinde vsurpauit Horatius *spectantes* pro *spectatoribus*,

Sic curat cor spectantis tetigisse querela.

quo ferè dictum videri potest, quod legitur Epistola ad Lollium lib. 1.

Scurrantis speciem prębere professus amicum.

nam mox sequitur *-infido scurrę distabit amicus.*

Ammianus libro 16. de Cæsare (vt opinor) loquens inquit; *Vbi verò pręliorum ardor nihil perpeti poterat segne, alium anhelanter auido flatu ventorum lenunculo se commisisse piscantis*; atqui Amyclas tunc non piscabatur, cùm ad eũ Cæsar accessit, sed domi in cubili iacebat, sic enim legimus apud Lucanum libro quinto. *-molli consurgit Amyclas,*

Quem dabat alga, toro. Quod deinceps vulgatam scripturam γεγυμνωμένους loco dimoueas nullam causam video pręter perpetuum contradicendi studium, & ἀπεξαντιλογίαν, siquidem cùm de sigillorum characteribus illic loquatur Clemens, quid attinet iterum scalptu rę meminisse? certè γεγυμνωμένους plurimum confert ad libidinosorum incontinentiam ante oculos constituendam: illud tuum rem non necessariam exprimit, ac proinde penitus vacat: an non intelligis hîc te maximè φλυαρεῖν? *Affectionem* barbaram vocem esse autumas: esset fortasse, nisi ei addidisset Gentianus dictionem *amoris*, qua fusam illius alterius notionem coarctauit; porrò γενικῶς de quolibet animi πάθω affectionem dici norunt omnes, & apud ipsum Ciceronem mul ta extant exempla; sed sit ipse *Amor* simpliciter (veniam siquidem quòcumque vocaris) an nõ ait Sidonius Apollinaris Epistola quapiam ad Constantium? *Quod restat, Deum precamur, vt sui metis secundum vota promotis bonorum amicitias indefessim expetas, capias, referas, sequaturq; affectio, quam relinquis:* hoc est amor, beneuolentia: sic Apuleius Metamorphoseos libro 7. *Nec te conscientia stimulat? sed affectione calcata, inter lanceas & gladios istos scortari tibi libet?* quod ita interpretatur Beroaldus. *Posthabito amore coniugali, postposita verecundia;* idem facit ad illud ex lib. 8. *nouæ, atque gliscentis affectionis firmissimum vinculum non posse dissociari perspiceret*, & reliqua. neque aliter fermè hanc vocẽ sumpsisse crediderim Aulum Gellium lib. 10. c. 18. cum ait, *Artemisia Mausolum virum amasse fertur supra omnes amorum fabulas, vl traque affectionis humanæ fidem*: sic etiam Ammianus libro 16. *Inter hæc Helenę sorori Constantij, Iuliani coniugi Cæsaris Romam affectionis specie deductę, regina tunc insidiabatur Eusebia.* rursus lib. 12. *Amat enim benignitas numinis, seu quòd merentur homines, seu quòd tangitur eorum affectione, his quoque artibus perdere quę impendent.* hinc apud Macrobium legas Saturn. lib. 3. c. 15. *piam, affectuosamq; rem fecisse se iactans:*

hoc

hoc eſt amoris plenam. neque autem is eſt Gentianus, qui in Ciceronis tantùm verba perpetuò ſe iuraſſe profiteatur: ſed quomodo is non peccaſſet, ſi aliter vertiſſet, cùm dicat Clemens τῶν ἐρωτικῶν παθημάτων, intelligens nimirum ἔρωτα ἐπὶ φιλίᾳ hoc eſt interprete M. Tullio *amorem amicitiæ*? De *dactyliotheca* rem prorſus nouam affers, quam tamen iure ſuo ſibi vendicet Hadrianus Turnebus, cuius hæc verba agnoſcis, opinor. *Quin & dactyliothecam lego epigrammate 60. non dactylothecam, & verſu hoc cogente, & verbi ſignificatione adigente, cùm anulorum repoſitorium intelligatur, qui* δακτύλιοι *Græce vocantur*. ſed & Martialis codices à Petro Perna Baſileæ excuſi anno partæ ſalutis humano generi 1559. ita legendum eſſe admonent. Nulla cauſa eſt, cur tibi triumphus non decernatur pro tanta victoria, quam de viliſsimis operis typographicis primus retuliſti. *Mihi non licuit eſſe tàm diſerto*, vt ſyllabæ vitium in Martialis carmine deprehẽderem, ergo diſerti qui ſunt, ſyllabarum dimenſiones optimè callent? benè Martialis epigramma interpretaris,

> *Nobis non licet eſſe tàm diſertis,*
> *Muſas qui colimus ſeueriores.*

diſcite poſteri, quanti referat eſſe diſertum.

ROBERTI

Μή μοὶ φθανήσητ' ἄνδρας οἱ θεώμενοι:

θεωμένους appellans ipsos *θεωτάς*: cuius exemplo deinde vsurpauit Horatius *spectantes* pro *spectatoribus*,

Sic curat cor spectantis tetigisse querela.

quo ferè dictum videri potest, quod legitur Epistola ad Lollium lib. I.

Scurrantis speciem prębere professus amicum.

nam mox sequitur *-infido scurrę distabit amicus.*

Ammianus libro 16. de Cæsare (vt opinor) loquens inquit; *Vbi verò pręliorum ardor nihil perpeti poterat segne, alium anhelanter auido flatu ventorum lenunculo se commisisse piscantis*; atqui Amyclas tunc non piscabatur, cùm ad eũ Cæsar accessir, sed domi in cubili iacebat, sic enim legimus apud Lucanum libro quinto. *-molli consurgit Amyclas,*

Quem dabat alga, toro. Quod deinceps vulgatam scripturam *γεγυμνωμένους* loco dimoueas nullam causam video pręter perpetuum contradicendi studium, & *ἀπεχθαντολογίαν*, siquidem cùm de sigillorum characteribus illic loquatur Clemens, quid attinet iterum scalpturę meminisse? certè *γεγυμνωμένους* plurimum confert ad libidinosorum incontinentiam ante oculos constituendam: illud tuum rem non necessariam exprimit, ac proinde penitus vacat: an non intelligis hîc te maximè *φλυαρεῖν*? *Affectionem* barbaram vocem esse autumas: esset fortasse, nisi ei addidisset Gentianus dictionem *amoris*, qua fusam illius alterius notionem coarctauit; porrò *γενικῶς* de quolibet animi *πάθει* affectionem dici norunt omnes, & apud ipsum Ciceronem multa extant exempla; sed sit ipse *Amor* simpliciter (veniam siquidem quòcumque vocaris) an nõ ait Sidonius Apollinaris Epistola quapiam ad Constantium? *Quod restat, Deum precamur, vt aui metis secundum vota promotis bonorum amicitias indefessim expetas, capias, referas, sequaturq; affectio, quam relinquis*: hoc est amor, beneuolentia: sic Apuleius Metamorphoseos libro 7. *Nec te conscientia stimulat? sed affectione calcata, inter lanceas & gladios istos scortari tibi libet?* quod ita interpretatur Beroaldus. *Posthabito amore coniugali, postposita verecundia*; idem facit ad illud ex lib. 8. *nouæ, atque gliscentis affectionis firmissimum vinculum non posse dissociari perspiceret*, & reliqua. neque aliter fermè hanc vocẽ sumpsisse crediderim Aulum Gellium lib. 10. c. 18. cum ait, *Artemisia Mausolum virum amasse fertur supra omnes amorum fabulas, vltraque affectionis humanæ fidem*: sic etiam Ammianus libro 16. *Inter hæc Helenę sorori Constantij, Iuliani coniugi Cæsaris Romam affectionis specie deductę, regina tunc insidiabatur Eusebia.* rursus lib. 12. *Amat enim benignitas numinis, seu quòd merentur homines, seu quòd tangitur eorum affectione, his quoque artibus perdere quę impendent.* hinc apud Macrobium legas Saturn. lib. 3. c. 15. *piam, affectuosamq; rem fecisse se iactans*:

hoc

hoc est amoris plenam. neque autem is est Gentianus, qui in Ciceronis tantùm verba perpetuò se iurasse profiteatur: sed quomodo is non peccasset, si aliter vertisset, cùm dicat Clemens *τῶν ἐρωτικῶν παθημάτων*, intelligens nimirum *ἔρωτα ἐπὶ φιλίᾳ*. hoc est interprete M. Tullio *amorem amicitiæ*? De *dactyliotheca* rem prorsus nouam affers, quam tamen iure suo sibi vendicet Hadrianus Turnebus, cuius hæc verba agnoscis, opinor. *Quin & dactyliothecam lego epigrammate 60. non dactylothecam, & versu hoc cogente, & verbi significatione adigente, cùm anulorum repositorium intelligatur, qui δακτύλιοι Græce vocantur*. sed & Martialis codices à Petro Perna Basileæ excusi anno partæ salutis humano generi 1559. ita legendum esse admonent. Nulla causa est, cur tibi triumphus non decernatur pro tanta victoria, quam de vilissimis operis typographicis primus retulisti. *Mihi non licuit esse tàm diserto*, vt syllabæ vitium in Martialis carmine deprehẽderem, ergo diserti qui sunt, syllabarum dimensiones optimè callent? benè Martialis epigramma interpretaris,

Nobis non licet esse tàm disertis,
Musas qui colimus seueriores.

discite posteri, quanti referat esse disertum.

ROBERTI

ROBERTI TITII BVRGENSIS

ASSERTIONIS LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

TAMQVAM pro aris, & focis pugnas pro voce *Ludos* apud Propertium, nam tua res agitur, hoc est Scaligeri, qui lectionem hanc in sua editione recepit: ego rem totam paucis tibi expediam simili quopiam ex nobili poëta proposito; imò verò expediui iam, si meministi; addo nunc, quod pertinet ad rem, *gloriam* pro ignominia, & *laudem* pro vituperio quandoq; poni, quod eruditus vir Ianus Drusius obseruauit; sic malum gaudium dixit Virgilius *& mala mentis Gaudia.* quem tamen locum vituperat Seneca epistola 59. sed immeritò, vt ego quidem arbitror; nunc ad tuam captiunculam, *Ergo exceptio illa non infamis, ostendit laudem aliàs pro vituperio, & infami nomine semper poni.* respondeo, laudem illam, quæ Lacedęmone infamis non erat, alibi fuisse infamem, non autem simpliciter, atque absolutè omnem laudem infamem esse: audi Aemilium Probum, seu quocumque tandem nomine appellandum censes scriptorem vitarum excellentium Gręciæ Imperatorum. *Nulla Lacedęmoni tàm est nobilis vidua, quę non ad scęnam eat mercede conducta: magnis in laudibus tota fuit Græcia victorem Olympię citari. In scęnam verò prodire, & populo esse spectaculo nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini, quæ omnia apud nos partim infamia, partim humiliora, atque ab honestate remota ponuntur.* idem quoque reperias in Epaminonda, quod etiam confirmat D. Augustinus libro 2. de Ciuit. Dei cap. 13. Aelia Catula fœmina nobilissima, atque ditissima, quam Neronis Iuuenalibus in theatro saltasse refert Dio, si in Græcia nata fuisset, atque ibi huiusmodi spectaculum de se præbuisset, non infamem laudem reportasset, in eo siquidem ab omnibus commēdata fuisset, quòd scitè choreas duxisset, nunc cùm id Romæ egerit, hoc est probè choreas duxerit, quod per se in vitio non ponitur, turpis fuit laus illa, & probrosa, ipsamq; mulierem cęteròqui nobilem perpetuę infamię nota respersit. proinde cùm ais, *Nam si non est infamis ea laus Lacedęmone*, cōcludere debes, *Sequitur alibi eam laudem esse infamem, eam* in quam, & non simpliciter

pliciter *laudem*, cùm sumpseris in syllogismo *eam laudem*, non simpliciter *laudem*; in vocula igitur *eam* captio latet; verùm illa conclusio non efficiebat, quod tu efficere in animum induxeras; itaque auxilium petiisti à tua Logica, atque inde subtile admodum sophisma deprompsisti, ex hypotesi nimirum thesim faciens, qua tu ratione nobis *ἀδιαλεκτικοῖς* imponere te posse credidisti. Ouidius epistola Paridis ad Helenam ludi simpliciter meminit,

More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra
Ludis, & es nudis fœmina mista viris.

rectè ludentes consequitur laus, & commendatio, viri, qui ex arte palæstram exercent, laudari consueuerunt, fœminæ non item *γενικῶς*, at Lacedæmone ipsæ quoque laudem merebantur, non tàm quia rectè, ac strenuè lucta certabant, quàm quia id Lacedæmone faciebāt, mos enim, & consuetudo turpitudinem excusabat; atque hinc intelligi voluit Propertius, quod necessariò antecedebat, neque enim omnes vno ore loquuntur. *τοιὸν ἐμὸν φρόνημα*.

CAPVT II.

NON video cur hoc meum caput attingere debueris, nam certè Mosellani expositionem non probas, imò verò meam dissimulanter amplecteris, mutatisq; verbis tamquam rem nouam pro tua venditas: sed hìc quoque tuarum diatribarum ordinem ad numerum tibi respondere voluisti.

CAPVT III.

DE *μινύρισμῷ* nihil necesse habeo quicquam tibi respondere, ac certè non est opus, cùm Transalpinus homo de ea re iudicium suum nobis aperuerit, in quo tamen si fortè lapsus fuit, Yuonis Villiomari ope subleuabitur: itaque videamus nos, quid tui sit iudicij de voce *παρακλαυσίθυρον*. *Aliud est* (inquis) *ab occentationibus ostiorum, quarum Plautus meminit, & conuiciorum nocturnorum apud Senecam*. an tu conuicia non vocas stomachosiores preces, quibus interdum amantes vtuntur ad puellarum fores, cuiusmodi exemplum proponit nobis Horatius,

Et te sæpe vocanti *Duram, difficilis mane?*

sic Tacitus Annalium lib. 13. *Tum, vt assolet in amore, & ira, iurgia, preces, exprobratio, satisfactio, & pars tenebrarum libidine seposita*. hæc, atque alia multa exclusi amantes queri non ignoras, preces minis commiscentes, minasque vicissim precibus temperantes, vt *μινύρισμον*

ᾗ παρακλαυσίθυρον eorum expoſtulationes rectiſsimè vocare poſsis Ouidius de Remedio Amoris libro primo.

Et modò blanditias, rigido modò iurgia poſti
Dicat, & excluſus flebile cantet amans. rurſus libro 4.
Nec dic blanditias, nec dic conuitia poſti;
Nec latus in duro limine pone tuum. ſic etiam Metam. lib. 14.
Sæpè ferenda dedit blandis ſua verba tabellis;
Interdum madidas lachrymarum rore coronas
Poſtibus intendit, poſuitq; in limine duro
Molle latus; triſtiſq; feræ conuicia fecit. Horatius Oda 25. lib. 1.
Parcius iunctas quatiunt feneſtras
Ictibus crebris iuuenes proterui,
Nec tibi ſomnos adimit; amatq;
Ianua limen;
Quę prius multum faciles mouebat
Cardines, audis minus, & minus iam,
Me tuo longas pereunte noctes
Lydia dormis?

Plautus quoque occentare oſtium generatim dixit in eamdem ſententiam, id eſt contra oſtium canere, quod à Lambino docti interim tenebimus, donec prodeant tui, ſiue Scaligeri commentarij ad Plauti comœdias, vnde certius cognoſcamus, quid tandem hac de re conſtituere nos oporteat: quamquam Ioſephus Scaliger adnotationibus in Feſtum id abundè nos docuit; ſed volo ei ſuam illam φαντασίαν penitus de pulmone reuellere; itaque affirmo ego *Occentare oſtium* non ſemper flagitium dumtaxat, ſed obſecrationes interdum flagitio admiſtas habere contendo; non longè abiero. Plautus Curculione.

Ph. Quid ſi adeam ad fores, atque occentem?
Pal. Neque veto, neque iubeo, quando te video
Immutatis moribus eſſe here, atque ingenio,
Ph. Peſſuli, heu peſſuli, vos ſaluto lubens,
Vos amo, vos volo, vos peto, atque obſecro;
Gerite amanti mihi morem amœniſſimi;
Fite cauſa mea Lydi barbari,
Suſſilite obſecro, & mittite iſthanc foras,
Quę mihi miſero amanti ebibit ſanguinem.

quæ res vt ſit adhuc teſtatior, addo Iſidorum in Gloſsis. *Pipulo* (inquit) *conuicio, ploratu*, valet autem *pipulo differre, occentare*, vt noſti: nonne intelligis te dignum eſſe, qui cum iſto tuo Scaligero millies diſtento ſago in ſublime excutiaris?

CA-

CAPVT IIII.

TV putas Gallum illum immobilem, atque omni sensu prorsus destitutum, tamquam æneum signum contra Manlium constitisse, nec vllum omninò ictum ei inflixisse, aut saltem ense expertum fuisse augurarís; quod ego verum esse minimè crediderim, propterea quòd verisimili caret, ac Liuius sanè tradit ipsum supernè imminentem proiecto læua scuto in aduenientis arma hostis vanum cæsim cum ingenti sonitu ensem deiecisse, quocirca fateri nos oportet, Gallum illum necesse habuisse gladium corrigere, id porrò ne efficeret, consequutus est Manlius vrgendo, & sub gladium ei succedendo, hoc enim pacto facultatē ei auferebat gladij corrigendi, atque hoc est, quod ait illic Quadrigarius; ad cuius mentem, consiliumq; illustrandum mirum quantum conferant Polybij verba illic à me citata: altera est Quadrigarij sententiæ explicandæ ratio ex altero Polybij loco, & ex Aristotelis Mechanicis petita, quam ego tamquam verisimiliorem amplexus fui, nam ex duabus sententiis, eam probari intelligunt Iurisconsulti, quæ posteriore loco recensetur, idque Varronem quoque obseruasse docet Macrobius Saturnal. lib. 4. atque hinc, ni fallor, euinco aduersus Carrionem nullum mendum residere in Quadrigarij verbis, quod nec tu etiā inficiaris: sed tamen voluisti ex adytis tuæ philologiæ abditum quiddam, & μυστηριῶδες depromere; itaque pergis dicens, *Scito autem illa Polybiana ἐκ διαφσεως, ἐκ διαλήψεως esse cæsim, & punctim.* citasque Virgilianum illud, quod ego prior adduxeram.

— & sublatum altè consurgit in ensem.

egregia sanè admonitio, & propter quam palmarium tibi decernatur; hæc sic in meo Lexico ad verbum. *ἐκ διαίρεσεως μάχη cùm cæsim res geritur, cùm verò punctim infertur plaga dicitur ἐκ καταλήψεως, vel διαλήψεως, & μεταλήψεως*; deinde sequitur Polybij exēplum à me productum; vide nunc quàm abstrusa, ac recondita afferas, quamquam vbi *τὸ ἐν διαλήψεως* in Polibij verbis comparet? deinde contaminas verba Quadrigarij mutatis eorum sedibus ex tuo sensu, qui nullus est, nam ego docui veram illorum sententiam manente vulgata scriptura, & es tàm bardus, vt Manliū vnico ictu, eoq; punctim inflicto (nam ensis Hispanicus punctim magis, quàm cæsim, vt inquit Liuius, hostem lædit) & Gallo pectus hausisse, & humerum eidem abscidisse putes? sed absciderit ille tamen, vt vis, an verò propterea sibi deerat hostis fortis, & ad vltimam desperationem vtroque exercitu inspectante propemodum redactus? nec læuo brachio scuto interim abiecto, & altero gladio lęua sumpto quicquam conabatur? scis autem ipsum duobus

 gladiis

gladiis armatum in medium processisse. *cùm interim* (inquit Quadrigarius) *Gallus quidam nudus preter scutum, & gladios duos, torque, atque armillis decoratus processit*. denique pro *concussu*, quod est in omnibus exemplaribus, legis *concesu*: neque huius lectionis aut rationem, aut testem vllum producis; fortasse vetus illud reuocare studes, αὐτὸς ἔφα; at narro tibi, non Burdonis animam habebat Pythagoras, cùm de ipso ita loquebantur eius discipuli, sed aut Aethalidis, aut Lyni, aut Orphei. si te pruritus innaserat attingendi locum Quadrigarij, cur non potius de eo nos admonebas, quod docti viri tradiderunt, nimirum illic legi in manu exaratis codicibus, *gladio Spanico* pro *Hispanico*, ita enim loquebantur veteres εἰς τὴν Σπανίαν, vnde nos vulgò illam prouinciam Spagnam appellamus. Diuus Hieronymus in Commentariis ad Iesaię caput 64. *Et per hanc occasionem* (inquit) *Spaniarum, & Lusitaniæ deceptæ sunt mulierculæ*. nimirum hæc in Lexicis, ac Dictionariis istis non extabant, iccirco ea tu ignorasti.

CAPVT V.

MAGNAM profectò iacturam fecimus Marci Antonij Mureti obitu, atque huiusmodi quidem, vt nisi ingenti Dei optimi maximi beneficio repentè tu extitisses, qui hoc incommodum egregiè pensares, actum esset de studiis literarum; modò cùm te superstitem habeamus, feremus leuius hanc molestiam, & sanè tamquam alter Hercules Atlantis onus excipis hoc loco in Mureti sententia asserenda, Titiiq; inscitia detegenda, sed quid dixi Mureti sententia, cùm hanc totam partem prorsus omiseris, nec eam vel paululùm modò attigeris? honestum sanè confessionis genus, quæ negare non potes, ea silentio præterire, agnosco ingenuitatem tuam, ac te haud prorsus extremi ingenij hominem esse ferè adducor, vt credam: sed veniamus ad inscitiam Titij. Dixi ego Orationem de Regno scriptam videri ab Athenęo quopiam, cuius meminerit Iulius Pollux. tu contendis τὸν Ἀθηναῖον σοφιστὴν esse Isocratem κατὰ ἐξοχήν, & me Athenęum sophistam per peram vertisse clamas: rectius Rhodulphum Gualtherium huius peccati insimulasses; sed ego me Gualtherium esse fingo; aioq; nullo modo Isocratem illic intelligi debere, quoniam scilicet non consueuerint veteres Grammatici nomina scriptorum, quibus pro testibus quandoq; vtuntur istis circumlocutionum cincinnis exornare, sed simpliciter suo quemque nomine appellare, nisi sint ineptissimi aliqui, cuiusmodi plures tulit nostra ætas; ac sanè Agathio ita loqui liceat, καὶ τοί νυν φασὶν, ὅτι δὴ ὅλον τὸν Σταγειρίτην κατασπῶν ἂν μᾶλλον, ἢ ὁ ῥήτωρ Παιανιεὺς τὸν Ὀλόρου. cùm dicere velit Chosroem Persarum Regem

accuratius

accuratius Aristotelem imbibisse, quàm Demosthenes imbiberit Thucydidem, quem septies sua manu exscripsisse ferunt: nos de Polluce loquimur, qui cùm sæpè alibi Isocratem testē citet, ipsum perpetuò suo, ac simplici nomine appellat, numquam circumscriptione vtitur; tu nunc sine causa,& absq; vlla penitus ratione putidam, atque ineptam, certè bonis grammaticis minimè consuetam,denique à Pollucis institu to prorsus alienam περίφρασιν in eius exemplaria inuehere studes studio mihi contradicendi: vis dicam vnico verbo: dele articulum ὁ, vel ipsum potius retrahe ad suum locū; rectè habebunt omnia, Ἀθηναῖος σοφιστὴς, Ἀθηναῖος ὁ σοφιστὴς, quāquā ὁ Ἀθηναῖος σοφιστὴς eodē pacto fortasse diceretur, quo à Ioāne Tzetze ὁ Μέτων Ἀθηναῖος dictum est,

Ὁ Μέτων Ἀθηναῖος ἦν, υἱὸς τοῦ Παυσανίου:

ac de his quidem hactenus. Nullam insuper ad populum Orationem Isocratem suo ore dixisse autumas: sed negat Plutarchus in ipsius Ora toris vita, vbi Orationem περὶ τῆς ἀντιδόσεως ab ipso publicè habitam fuisse perspicuè affirmat, ego iniurato plus credo huic, quàm iurato tibi,ac etiam pro certò habeo te minimè intelligere Ciceronis con silium, dum ait libro 3. de Rep. apud Nonium de Isocrate (ni fallor) loquens. *Duas sibi res, quominus in vulgus, & in foro diceret, confidentiam, & vocem defuisse.* quod etiam 2. de Oratore confirmat, neque non idem prodit Halicarnassęus in vita illius viri, sed & Isocrates ipse idem Panathenaico,& in libro ad Philippum Macedonem ab se misso, quocirca vice cotis se fungi dictitabat, quæ cùm ipsa secandi facultate careat,ferrum tamen ad secandum idoneum reddere valet, qua mente dixit Horatius epistola ad Pisones *ergo fungar vice cotis, acutum*

Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.

hæc tamen non pugnant cum Plutarci sententia, siquis totam rem secū diligenter accuratèq; expendat; verūtamen hæc huiusmodi sunt, vt ea percipere nequeas; ac mihi nunc non vacat omnia tibi ad vnguem explanare. Si te imitari vellem, dicerem abs te non leui flagitio Cicero nis testimonium omissum fuisse, cùm ostendere velles Isocratem σοφιστὴν tantùm, non ῥήτορα vocatum fuisse,nam Cicero in Oratore sic inquit. *Laudationum, suasionum, historiarum, & talium scriptionum, qualem Isocrates fecit Panegyricum, multiq; alij,qui sunt nominati sophistæ.* & cætera. *formam non complectar hoc tempore.* ab hoc reprehensionis genere tu minimè abstines: ego frustrà in his tempus consumi iudico: De Athenęo Rhetore si fortè dubitas,habes Varronem,qui omnem hæsitationem tibi eximet: is libro De lingua Latina septimo ita scriptum reliquit. *Nam,vt ab Athenis Athenęus dicitur rhetor nomine,etsi non sit Atheniensis, in hoc ipso analogia non est.* Cognosce nunc quàm sis lingua factiosus, iners opera, subiesta fide.

CAPVT VI.

EXAMINEMVS huius capitis epigraphen, nam reliqua sunt folia farfari, merę nugæ. *Calumniator* inquis. Quæro ex te, Villiomare logodędale, cymbalum mundi, quem nam voces *calumniatorem*; mihi certè isthæc nuncupatio hoc saltem in loco minimè conuenit, quomodo enim *Calumniator*, si iure Canterum reprehendo? at quomodo iure non reprehendo, si tu eius defendendi rationem adhuc reperire non potuisti? non igitur me *Calumniatorem* vocas: hinc statim sequitur, hoc nomen tibi competere;& verè competit, nam quàm ego *doctorum virorum Simia, eorumdemq; vigiliarum fucus, omniumq; insectator sim*, hactenus vidimus, atque adhuc magis in sequentibus perspiciemus, vt calumnia tua manifestius detegatur. Verum illud verbum est, quod vulgò dictitant Mendacem memorem esse oportere. *Nunc in meis libris nihil aliud extat, quàm spicilegia Victorij, Mureti, & aliorum summorum virorum*. alicubi superius dicebas ex quisquiliis nescio quibus nomen docti me aucupari; quis vmquam poterit tantum istud tuum veternum excitare ὅπεγ καθάπερ ὑπὸ μανδραγόρᾳ καθεύδεις.

CAPVT VII.

A'ΡΧεται λέξεων μὲν ποταμὸς, νῦ δὲ σαλαγμὸς: hoc de te summo iure dicere possum, adeò verborũ largus es promus, rerum verò malignus condus, quãquam frustrà, vt aiunt, è pumice aquam postules. Difficultatem tibi creat in mea castigatione vox *spirosus*, quæ intentionem qualitatis denotare consueuit, cui in capillo locum esse nequaquam posse tibi persuasisti, iccircòq; meo ductu finxisti *spirisue*, quod non damno, sed tamquam domi meæ ortum, & à me aliquo modo profectum agnosco, atque amplector, quamquam, verum vt fatear, perit phrasis Apuleiana, si adiectiuum *spirosus* inde auferatur, quod respondet illi *porrectus*, in hac tamen re, vt de vocis proprietate aliquid dicã, meminisse debebas Apuleiũ loquentem audire te, nõ Tullium, aut Cęsarẽ, & nihilominus capillitium muliebre in multas spiras cõformari potest, si in multas partes, subolesue secetur, ac diuidatur, quo pacto si consideretur, probè spirosum nuncupabimus, hoc est spiris abundans: huiusmodi porrò capillus, hac, inquã, ratione distinctus, atq; dispositus, & in amfractum cõuolutus lubricis tractibus in vertice fastigiatur, sicut in veteribus marmoreis signis etiamnum videre est; atq; hæc crinium dispositio ea est, quam κρωβύλον Græci vocant, cuius meminit Hesychius, & ex Latinis Tertullianus in libro De velandis virginibus. Subules

les calamistro intortæ non dicebantur spiræ, mi homo, sed anuli, siue orbes, quorum meminit M. Fabius in Oratoriis institutionibus, Iuuenalis, & Claudianus, nam spiræ fiebant è capillorum sertis cochleatim fastigiatis, & in gradum fractis, vt loquitur Suetonius, quem ornatum in animo habebat Ioannes Baptista Egnatius, cũ Annotationibus in Trebellium Pollionẽ De Zenobia ita scripsit ad illud *Media etiam cochlide. Compositionem & ornatum capillorum hoc nomine videtur appellasse, ad cochlidis scalę similitudinem, quę paulatim per gradus occultos in cochleę formam constructa, nomen idem sibi (vt opinor) peperit*. rectè ille quidem de re, sed non in tempore, nam penes Trebellium *cyclade* illic exscribi debet, neque aliter sanè legitur in pluribus excusis exemplaribus; cycladis meminit etiam Flauius Vopiscus in Saturnino. *Ibi tamen* (inquit) *cùm cogitare cepisset, tutum sibi non esse, si priuatus viueret, deposita purpura ex simulacro Veneris, cyclade vxoria militibus circumstantibus amictus, & adoratus est*. Ἐξ ὄφεων τὴν Ἀνδρομάχην διασχευάζειν, dixi esse omnium sermone tritũ prouerbium Transalpini hominis fidem sequutus, qui verba illa in adagiorum numerum recenset Centuria quinta, ipsiq; hanc mentem subesse autumat; volo autem ipsissima illius anctoris verba describere, & vt prouerbij sensum percipias, meq; rectè de titulo, ac suggestu comæ sensisse cognoscas, & vt, quid ὄφις cum spiris commune habeat, intelligas; ait igitur illic Hadrianus Iunius. *Nicephorus Callisthus lib. 14. Id consilij nobis est, vt ex omnibus, quę ad rem faciunt, colligamus, & interdum etiam spiris anguium implexis Andromachen adornemus. Græcè est* ἐνιότε δὲ καὶ ἐξ ὄφεων τὴν Ἀνδρομάχην διασχευάζωμεν. *est autem hoc loco* ὄφις *ornamentum capitis, quod crinium volutis lubrico spirarum implexu in modum anguium inerrantibus fastigiatur, quod Statius Papinius suggestum comę nominat, quod genus in veteribus Italię monumentis crebrò occurrit*. & quæ deinceps illic sequuntur. Vnum adhuc restat, in quo ingenij tui acumen experiri posses. dixi esse omnium sermone tritum prouerbium; ostendi hactenus simpliciter esse prouerbium, ergo non omninò prestiti, quod sum pollicitus: hanc captiunculam vitari puto, si dicatur, pruerbia iccircò esse, diciq; prouerbia, quia crebris hominum sermonibus circumferuntur, cõtinuoq; vsu probata sunt, vnde Græcè etiam nomen inuenerunt, vt dicerentur παροιμίαι, ἀπὸ τοῦ οἶμος τὸ ὁδὸς, ὥσπερ τρίμμα καὶ παροδικὸν. statim igitur, atque aliquid prouerbij nomine censetur, sequitur, vt sit omnium tritum sermone; nunc illud ἐξ ὄφεων & cætera, prouerbium esse abundè, ni fallor, superius ostendi, ergo rectè à me dictum est esse omnium tritum sermone: deniq; id eo modo omnium sermone tritum sit, quomodo Capella notissimum nomen centurionis fuit, vt tu hariolaris diatriba tertia ad caput secundum meorum locorum controuers. Quid

proprie

propriè dicatur *titulus*, siue *tutulus* docet Festus in illa voce, neque ego mihi necesse esse putabam cuncta, veluti pusilli isti grammatici faciunt, minutatim prosequi, nam nullus scribendi fieret modus; satis habui ea exempla proferre, quæ cuiusmodi esset ille colligendi capilli modus, aperirent, reliqua nec magnoperè curaui, nec verò curare debui, cùm de eo præcipuè tunc non ageretur. Plures spiræ ex vnius mulieris capillitio (vti dixi) fieri possunt, si id in plures sertas distinguatur, quæ deinde in vertice conglobentur spirarum in modum, vnde plurium numero vsum fuisse Plinium crediderim. Si ad confirmandam mea ope restitutam Apulei scripturam Iuuenalis, Statij, Nazianzeni versus in tempore aduocaui, frustrà quereris, quòd Tertulliani verba illhic adscripserim, nam, vt alia nunc omittam, cum illorum poëtarum testimoniis eademmet Q. Septimij verba copulauit Hadrianus Iunius Commentario de Coma cap. 7. libenter autem soleo à ratione producenda abstinere, quotiescumque alicuius Trãsalpini hominis auctoritas mihi succurrit, tùm quia, cùm ratione careas, nullo pacto ratione peruinci potes, tùm quia instar omnium rationum tibi sunt tui Trãsalpini, quos ego tamen non contemno. *galericulus*, vt scias, est coma apposititia, quam Græci *πηνίκην* vocant, auctor Etymologici. A Plinio, ac Tertulliano præpostero quodam ordine ad Apuleium reuerteris, clamasq; illius auctoris locum à me citatum nihil prorsus conducere ad intelligenda verba ex mea castigatione: conducunt tamen plurimùm, si per contrarium id, quod volui, subindicari accipias, quomodo sanè accipi debere ipsemet Apuleius illic docet inquiens. *Sed in mea Fotide, non operosus, sed inordinatus ornatus addebat gratiam*. sed tu non magis es oculatus, quàm Hypsæa, itaque mirum non est, si hæc non videas. Nonij locum; *Patagium, aureus clauus, qui preciosis vestibus immitti solet*, pessimè citas, nam cùm dixeris, *Patagium in vestimento muliebri addebatur, vt clauus in virili*; quomodo apud Nonium legere potes *aureus clauus*, cùm id in virili tantùm vestimento adderetur? aut igitur sincerè scriptum est in quibusdam calamo notatis libris, & typis exaratis *aurea chlamys*, aut quærenda est vera lectio illius loci, nam ille tuus *aureus clauus* nullo modo ferri potest. Ad *ὄφιν* postliminio quasi quodam iterum reuerteris, & de tutulo, ac spira nonnihil insuper addis: ego scio crambem bis sumptam venenum esse. Intelligis tu quidem, quo modo *σειραὶ* in spiras conuoluantur, nam quis non intelligat? sed animi vitio, vt mihi obtrecteris, id te non intelligere fingis; at narro tibi ex Festo *Spiram* dici funem nauticum in orbem conuolutum, quomodo cathenæ illæ, tametsi per se in longum porrectæ sint, si conglobentur, & cochleatim turbinentur spiræ, ac tutuli formã commodissimè referunt. Senis crinibus Vestales ornari solitas ais, matronas pluribus: de Vesta-

libus

libus non contradico, eſt enim teſtis in hanc rem Feſtus Pompeius: de matronis non habeo, cur tibi aſſentiar: imò verò ſic reperi apud diuinum tuum Scaligerum in ſuis ad Feſtum Caſtigationibus voce, *Senis crinibus. Seni crines dicuntur in capite matronę Romanæ ſex ſertę crinium vitta, & crinibus ipſis implexa, quas vulgò treccias vocant.* Pollucis locum rectè ſcribi, quomodo ego oſtendi, tunc demum fateberis, cùm Tranſalpini hominis verba ſuper eo tibi indicauero; Hadrianus igitur Iunius de Coma cap. 8. inquit. *Iulius Pollux duo plectendorum crinium genera facit, σεῖϱαν, & ὑπόϛπειϱον, & qui locus ſine dubio vlceroſus eſt, quem quia ab aliis quoque citatum inuenio abſque remedio, primus integritati ſuæ reſtituere conabor. Conſtanter itaq; legendum cenſeo σπεῖϱαν, priore loco, vt poſteriore, ὑπόσπειϱον. in illo proclinis fuit lapſus ob affinitatem literarum τ & π, nec minor in hoc, in ϛ, & σ.* reliqua verba, cùm breuitati ſtudeam, non viſum eſt adſcribere; ea illic inſpici poſſunt, & vt inſpiciantur ſuadeo, nam ad rem non mediocriter faciunt: Idem Iunius, ex quo pleraq; eorum decerpſi, quæ illi meo capiti conſignaui, docere te poteſt non *neu*, ſed *neue* in illo verſu ſcribi debuiſſe.

Vincula neue plicent crines contorta corymbis.

CAPVT IX.

ODIVM es, non homo, adeò nos obtundis iſta tua garrulitate, an verò non alluſit Horatius ad Ixionis factum? cur non alluſit, ſi hiſtoria in promptu eſt? equidem ſi non aliunde, hinc ſaltem probè intelligere poſſumus, quàm bonus ſis poëtarum interpres: ego autem pluribus exemplis è veteribus grammaticis, qui antiquorum ſcriptorum ſenſa nobis aperuerunt, in medium prolatis, facilè demonſtrare poſſem, quomodo in poëmatis allegoriæ adhibeantur, ac quàm longè interdum peti conſueuerint: verumtamen cùm res notiſsima ſit iis ſaltem, qui paululùm modò in his ſtudiis promouerunt, ſuperuacaneũ eſſe duxi in ea explicanda diùtius immorari, quemadmodum etiam abſtinendum eſſe mihi cenſui à commemoratione expoſitorum Homeri, & Apollonij, qui de hoc Ixionis facto tale quippiam prodiderunt, nam cùm minimè incelebris grammatici auctoritate id, quod volui, conſtituerim, nihil neceſſe habui in re ſatis firma illos alteros teſtes aduocare. De Tarſenſibus quòd addis, non nego factum, ac Laziis illic ſcribi oportuiſſe planè confiteor: decepit autem me non τὸ ταϱσοὶ καλάμων, vt tu putaſti, ſed τὸ Ταϱσὸς πόλις Κιλικίας; nam alioqui ταϱσοὶς καλάμων *cratibus arundinum*, non *calathis* verteram, atque ita ſcripſeram in exemplari, quod typographo imprimendum dederam deleta voce *calathis* ex interpretatione Volphij, ſed iſti librorum artifi-

ces arripuerunt, quod minus opus fuit; res tamen pusilla est, nullamq; sententię incommoditatem, aut detrimentum affert: hoc est ingenium, hic captus meus. Cęterùm admirans lego, quod scripsisti. *Quamuis ego te ne de nomine quidem nouerim*. tu me ne de nomine quidem cognitum habes, quem toties appellas? cuius nomen, & patriam mei libri titulus grandioribus literis exaratus prælegerit? sed profectò ita res est, idem tibi valet *aliquem de nomine cognitum habere*, quod *de facie nosse*, & quia numquam me fortasse vidisti, iccircò ne de nomine quidem nosse dicis: magis ego intelligo quid ipse velis, quàm tu id verbis exprimere scias: ac mehercule nil prorsus mirum, tantumdem enim sapis, ac grundule pecus.

CAPVT X.

QVONIAM leuitatem meam cum Francisci Hotomani hominis Galli leuitate coniunctam esse video, feram æquo animo hoc quicquid est contumeliarum tuarum; dumtamen memineris Cęsaris vulgatam scripturam tueri me voluisse, illum alterum eam ipsam in dubium fermè reuocare conatum esse.

CAPVT XI.

TV fingis interdum ea te non intelligere, quę planissima sunt, meque in odium hominum isto artificio vocare pergis, sed caue, sycophanta, ne isthæc in te cudatur faba. Plinij locum perinde tractas, ac si ego affirmauerim *Flauescunt* omninò illic legi debere, cùm tamen hæc sint mea verba nullo addito, nullo mutato apice. *Verùm quoniam olera morientia, & conflaccescentia viriditatem suam paulatim amittunt, non incommodè dici posse videtur, olera flauescere, vt à mutatione coloris intelligamus id, quod consequens est.* cur igitur, inquies, vulgatam scripturam tentare voluisti? mane, scio, isthuc ibam; ego rem istam tibi planè patefaciam, sed illis ipsis verbis, quæ tu conniuenter pęteriisti. *Ponam verba Plinij* (inquam ego) *quomodo ea scripta reperiuntur in vulgatis codicibus, non vt in eis quicquam immutem, sed vt indicem tantùm suspicionem meam, & quid mihi de ipsis in mentem venerit, patefaciam.* neq; me coniecturæ pœnitet ob causam, quam illic adduxi: vtitur autem verbo *flauescunt* Columella in re non ita dissimili lib. 5. de cythiso loquens. *Cythisum cùm aridum facere voles, circa mensem Septembrem, vbi semen eius grandescere incipiet, cædito, paucisq; horis, dum flauescat, in sole habeto*. addo M. Tullij testimonium, quod & huc aliquo pacto confert; est autem ex Oeconomico citante Nonio. *Nullo modo faciliùs arbitror*

bitror posse, neque herbas arescere, & interfici, neque terram ab sole percoqui. sic etiam Virgilius,

Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens.

CAPVT XII.

NON quærimus modò, an Galli omnes Græco sermone passim vterentur, sed an lingua hæc apud aliquos in Gallia in vsu esset inuestigandum mihi proposui, vt ostenderem verisimile non fuisse Cæsarem, cùm suum consilium hostes celare vellet, Græcis literis confectã epistolam ad Ciceronem misisse; non sic sibi consulere solent imperatores in re simili; quære ex Poybio historiarum libro octauo, vbi de Nicomacho, & Melancoma loquitur; produxi igitur in hanc sententiam ipsius Cæsaris testimonium è libro sexto Commentar. alterum propè geminum Luciani subieci ex Hercule Gallico, vbi non obscuris verbis Druida quispiã designatur, φιλόσοφος τὰ ἐπιχώρια, quem enim aliũ hîc innui dicamus? sed tu præ stupore ingenij, atque inscitia hæc non assequeris; & tamen pergis obstinato animo ea nos docere velle, quæ non intelligis. *Barbarum est* (inquis) *Grecanicam linguam sonare*. Batauum dicere voluisti, namque ea est illius loci Desiderij Erasmi conuersio; ergo, critice, Barbarè, seu Batauè loquutus fuit D. Hieronymus, cùm dixit in Prefatione Danielis; *Denique ego adolescentulus post Quintiliani, & Tullij lectionẽ, cùm me in lingua Chaldaica pistrinum reclusissem, & multo sudore, multoq; tempore vix cepissem anhelantia, stridentiaq; verba resonare, & quasi per cryptam ambulãs rarum desuper lumen aspicerem, impegi nouissimè in Danielem*. is Chaldaicam, seu Græcanicam linguam sonare dicitur, qui non admodum exactè illarum gentium sermone vtitur, cuiusmodi vitium Strabo vocat παχυστομίαν, κακοστομίαν, & βαρβαροστομίαν: ex hoc hominum genere philosophum illum fuisse, quem tacitè illic designat Lucianus, à vero non abhorret, itaq; voce vsus est ἀφωνὴς huic rei significandę valde accommodata: quòd si Hieronymus tibi δυσπειστῳ idoneus auctor fortasse non videtur, cui de hoc negocio, quod nunc tractamus, fides adhibeatur, producam alios locupletiores testes; ac primùm en tibi Martialis in Afrum lib. 4.

Et sacro decies repetis pallatia cliuo,
Sigeriosq; modos, Partheniosq; sonas.

quo in loco (si hoc quicquam referre putas) Domitius Calderinus interpretatur *sonas*, hoc est, *loqueris*. sic *Græcanicam linguam sonare* dixit Erasmus, pro Gręcè loqui, Græca verba proferre, Græco sermone vti, lingua enim valet interdum ipsam orationem, quæ linguæ ope, atq;

auxilio perficitur. sed volo te exemplorum copia obruere. Ouidius Elegia de morte Drusi ad Liuiam.

Ipse tibi emissus nebulosum litus auerni,
Si liceat, forti verba tot ore sonet. Tibullus.
Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat,
Nomen & absentis singula verba sonent.

Sidonius Apollinaris in Endecasyllabo de Narbonę laudibus,
Et te seu Latialiter sonantem. Tertullianus De habitu muliebri. *Legimus omnem scripturam ędificationi habilem diuinitus inspirari, à Iudęis postea iam videri propterea reiectam, sicut & cætera ferè, quæ Christum sonant.* hoc est, vt ipsemet deinde interpretatur, *loquuntur*, statim enim subiicit. *Nec vtique mirum hoc, si scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem & ipsum coram loquentem non erant recepturi.* Laurentius Valla optimus Latinitatis auctor, vel ipso Budęo teste, hæc Herodoti verba ἐπεὶ τέω τρόπῳ ἂν πελειὰς ἀνθρωπίνῃ φωνῇ φθέγξαιτο; ita vertit: *Nam columba quodam modo humanam vocem sonat.* rectius fortasse facturus si per interrogationis notam ea ita reddidisset. *Nam quo pacto columba posset humana loqui voce?* sed loquor de phrasi, *linguam*, seu *vocem sonare*. Erasmus quoque Hebraicum prouerbium explicans, *Ab impiis egressa est iniquitas,* inquit: *Quandoquidem habent hoc peculiare pleraq; prouerbia, vt in ea lingua sonari postulent, in qua nata sunt:* Achilles Statius de sono Græcę literæ B agens in suis Obseruationibus, quas Martinus Nutius Antuerpiæ diuulgauit anno salutis 1553. sic ait; *quas habemus iam in vsu Græcas dictiones hoc elemento scriptas Græcè, nos eas per b nostrum scribimus, & sonamus.* denique (vt aliquis modus exemplorum extet) Petrus Aegidius vir Belga in quadã epistola ad Hieronymum Buslidium, quæ Thomæ Mori operibus Louanij à Petro Zangrio excusis anno Domini 1565. pręfigitur, inquit. *Superioribus hisce diebus*, & reliqua. *aliquantò plus mihi videre videar, quàm cùm ipsum Raphaëlem Hythlodęum (nam ei sermoni æquè interfui, ac Morus ipse) sua verba sonantem audirem:* quorum veterum Latinorum exemplo, atque imitatione dixit deinde summus Hetruscus poëta.

Lo mondo è ben così tutto diserto
D'ogni virtute, come tu mi sone,
E di malizia grauido, e coperto.

quòd si illud *Græcanica* te offendit (diuinandum est enim) amplius non laboro, nam insanabilis profectò est mentis tuę morbus, & potius expiatrice, quàm medico opus habes. φιλόσοφος τὰ ἐπιχώρια verti debuit, *Patrię sapientię peritissimus.* nimium arctis cancellis Gręca Latinè vertendi facultatem constringis; cùm tibi sententia fideliter repræsentatur, non est, cur de numero verborum tantoperè labores; hoc

certè

certè nemo vnquam vllo interpreti vitio dedit; imò verò Aquilam iccircò interpretem contentiosum appellat Hieronymus, quia verbum è verbo exprimere curauerit; nunc tu exortus es, qui compedes nobis inicias, & tuo arbitratu nos loqui velis, verbaq; non appendi solùm, sed adnumerari quoque tibi postules: Penè oblitus fui petere à te tàm magno magistro, vt postquam de Cæsaris loco tecum deliberaueris, tuum consilium mihi significare ne graueris; neque enim vereor, quin aliquid exquisitum sis excogitaturus: ego interim persistam in proposito, nam tu istis tribus tuis diatribis nihil adhuc attulisti, cur sententiam mutare debeam; & habeo insuper auctorem Hadrianum Turnebum, qui non modò *cæcas literas* dixerit, sed & *lippientes* quoq; Aduersar. lib. 23. cap. 30. vbi Ludouici Rursardi admonitu versum vnum Ausonio reddit, qui ei deerat in impressis codicibus; ait autem illic Turnebus de Rursardo loquens. *Is nuper certiorem me fecit in monosyllabis Ausonij versum desiderari vnum, quem se reperisse in antiquissimo ait, cęcisq;, & lippientibus literis vix legendo libro.* huic *cęcę literę* sunt obscuræ, & latentes, id est, quæ se palàm spectandas non præbent, sed oculorum sensum effugiunt, neque conspici possunt: cur non sint eædem Cæsari? certè non alio consilio dictum est à Marone,

-cęca Menœtes
Saxa timens, proram pelegi detorquet ad vndas.

CAPVT XIII.

VT tibi liceat passim bonis auctoribus ex libidine fidem abrogare, mihi fraudi sit, si aduersus vnius, aut alterius grammatici φαντασίαν probabiles suspiciones vel semel tantùm adduxero? quæ tua licentia est hæc, quæ prærogatiua? Snidam, Plinium, Solinum, Nonium, Seruium, ipsum denique M. Tullium nonnunquam hallucinari solere tu impunè prædices; mihi capitale propemodum sit Hesychij, Diogenianiq; commentum vanum, atque ineptum refutare? idque non inanibus quidem indiciis, sed locupletissimis mehercule testibus, certissimisq; argumentis in medium productis? an soli tibi existimas licere omnia, & putare cæteros boues? Adhuc pertendo verisimile non fuisse, quod duo illi grammatici prodiderunt, neq; causam vllam video, cur agnum ea in re adhibere voluerint veteres: de hasta, & face ratio in promptu est; de gallo item gallinaceo μύσηγιον facilè quis explicauerit; nam & hoc quoque immisso bellum denunciare solitos veteres tradit Ioannes Tzezes: Inuenio apud Xenophontem Historiarum Græcarum lib. 4. Lacedęmonios prælium inituros capram Dianæ imolare consueuisse; quod nec ipsum ratione vacat; non igitur

 impu-

impudenter feci, qui grammaticorum illorum fidem suspectam habui; sed tu temerè, atque inconsultò geris te, qui ea reprehendas, quæ non intelligas, nam certè minimè animaduertisse videris, quomodo prouerbium ἄγρα προβάλλει ad bellicum tormentum retulerim, & quàm dubitanter de hac re loquutus fuerim: nisi proprium illius machinæ vocabulum tenuissem, nulla causa erat, cur non absolutè ad eam prouerbium referrem; nihilominus dixi, *Videndum est, an de ariete bellico instrumento intelligi possit;* ac deinde. *Quòd si ne hæc quoque expositio satisfacit, audi*, & cætera; quocirca scire debebas difficultatem fuisse à me intellectam; & tamen non esset nouum ἄγρα pro κριῷ quandoq; poni, sic *caprum* pro *hirco* vsurpauit Ouidius,

Rode caper vitem, tamen hîc cum stabis ad aras,
In tua quod spargi cornua possit, erit. rursus.
Vite caper morsa Bacchi mactatus ad aras
Dicitur vltoris. & pro *ariete* Tibullus, vt nonnullis videtur.
Dux pecoris hircus, auxerat hircus oues.

error quoque multitudinis *bubalorum* nomen *vris* imposuit auctore Plinio, & Solino, vnde dixit Martialis.

Illi cessit atrox bubalus, atque bison.

fit *cerua* pro *capra syluestri*. Virgilius.

-qualis coniecta cerua sagitta, & reliqua. fuit igitur quæsita ambiguitas in voce ἄγρα, quomodo à Catullo in *asino*.

Et non pistrino traditur, atque asino.

ὄνος enim & animal ipsum, & molam interdum significat. Dixi autem *instrumentum* pro *machina* genus nimirum pro specie vsurpans aliorum exemplo. Angelus Politianus in Prælectione, cui titulum fecit Panepistemon. *Huius autem partes manganaria, per quam pondera immania minima vi tolluntur in altum; mechanopoetice, quę facilè aquas antliis extrahit; organopoetice, quæ bellis accomoda instrumenta fabricatur, arietes, testudines, turres ambulatorias, helepoleis, sambucas, exostras, tollenones, & quæcumque Gręco vocabulo poliorcetica vocantur, tormentorumq; varia genera.* Robertus Valturius De re militari libro 10. *Vtq; in his bellicis instrumentis tua tibi, Sigismunde Pandulphe, quandoq; memorem inuenta;* & reliqua. rursus postquam testudinem, arietem, helepolim, atque alia huius generis plura tormenta descripsit, *Hæc instrumentorum genera* (inquit) *variæ etiam signorum species consequuntur.* sed dices tu, apage hînc cum istis tuis Italis? mihi Itali sunt, quicumque hostem feriunt, quo sensu & Hadrianum Turnebum, & Robertum Stephanum, & Franciscum Hotomanum, & Gallos omnes Italos voco. Turnebus igitur scribit Aduersar. lib. 2. *In instrumentis autem παλιντόνοις, quę lapides mittunt, vt ballistæ, dimetiens foraminis*, & cętera. con-

ſarcinator Dictionarij Græcolatini in κριος, ita habet. *Helepolis enim, niſi ſolum τὸ ἔτυμον conſideres, inſtrumentum alind eſt.* cæteroqui non ignorabam illorum vocabulorum diſcrimen Vitruuio pręſertim docente lib. 10. ſed heus tu; ain verò machinam illam Romanorum eſſe inuentum? id quidem tua verba pręciſè affirmant, ſed Plinius aliter ſentit, dum illius inuentionem Epeo tribuit in expugnatione Troiæ; quòd ſi nimis longè arceſsi videatur hoc inuentum, ſaltem licet petas à Carthaginenſibus, de quibus ita ſcriptum reperias à Vitruuio. *Primùm ad oppugnationes aries ſic inuentus memoratur eſſe. Carthaginenſes ad Gades oppugnandas caſtra poſuerunt: cùm autem caſtellum ante cepiſſent, id demoliri ſunt conati, poſteaquam non habuerunt ad demolitionem ferramenta, ſumpſerunt tignum, idque manibus ſuſtinentes, capiteq; eius ſummum murum continenter pulſantes, ſummos lapidum ordines deiiciebant, & ita gradatim ex ordine totam communitionem diſsipauerunt.* deinde ſequuntur additamenta huic machinæ facta à Pephaſmeno Tyrio, & Cetra Chalcedonio, quæ illic inſpici poſſunt; cum Vitruuio conſentit Tertullianus libro De pallio. idem etiam ſcriptum reliquit Athenæus, vnde ſua mutuatus eſt Vitruuius. In arietis locum ſucceſsit ἑλέπολις Demetrij Poliorcetis inuentum, cuius deſcriptionem ponit Ammianus lib. 23. non fuit igitur illis temporibus tormentum illud bellicum Græcis incognitum, vt tu ſtultè nimis tibi perſuaſiſti, ſed arietis tædio ἑλέπολις excogitata fuit eodem Ammiano auctore: verùm hîc ego ex te libenter quæſierim, de quibus nam temporibus intelligas, cùm inquis; *Pręterea machina illa, iis temporibus Gręcis incognita fuit.* nam Diogenianus, & Heſychius nullum certum, ac determinatum tempus deſignant, quo prouerbium vſurpari ceperit; itaque expecto abs te tàm magno χρονόγραφῳ, qui mirabiles etiam temporum Emendationes edideris, vt nos doceas, quonam tandem anno *Periodi Iulianę, Periodi Vrbis Conſtantinopolitanę, Periodi Iudaicę, Periodi nonę cœleſtis, à Conditu rerum, à Soteriis Noę, ab Exodo Hebręorum, Hegiræ Muhamedicæ, Iazdegrid, Neuruz* illud inualuerit. Vnum adhuc ſupereſt, vt habeas ad omnia, id etiam tibi expediam. Me puero nondum in deſuetudinem abierat ludi genus illud, quo perſonati raſo capite contra ælurum arietabant, quin & infimæ conditionis quempiā olim vidi, qui capite multis prius faſciis obuoluto, & vndequaque centonibus præmunito exiguæ mercedis gratia arieti occurſaret, id quamquam experiri periculoſum eſt, tentant adhuc nihilominus mendici quidam, extremæq; ſortis homines quotacumque ſibi mercede propoſita: hûc proculdubio reſpexiſſe crediderim Gregorium Theologum epiſtola ad Euſtachium, dum oſtēdit rem plenam periculi eſſe nudo, raſoq; capite arieti coniſcare: deſine igitur monſtrum vocare, quod nos olim vidimus, viderunt alij plurimi;

mi; nec ignotum fuiſſe antiquis illis viris ex Gregorio cognoſcimus: ac perſpicuè teſtatur Cælius Calcagninus Epiſtolicarum quæſtionum lib. 1. epiſtola ad Comitem Thomam Calcagninum, cuius initium, *Licet quod quæris*. Paruum quiddam oblitus fueram, quod tamen ſine vllo detrimento poterat omitti, ſed quoniam mihi nunc in mentem venit, id etiam paucis expediã, ne non ad omnia tibi reſponſum eſſe queraris. Dicis potuiſſe me arietis deſcriptionem ex Ioſepho deſumere: potuiſſem equidem, ac non modò ex Ioſepho, ſed & ex Vitruuio, Athenęo, Vegetio, Egeſippo, Iſidoro, aliis etiam haurire potuiſſem; quid hoc? an peccatum à me dices, niſi auctores omnes, quicumque de re aliqua ſcripſerunt, ſemper ingero? Pręetereo iam, tamquam leuiuſculum, illud προβάλλειν, quod Parœmiographus ſemel *emittere* reddidit; itemque illud; *Eraſmum nominare vetant leges patriæ*: tametſi tacendum non eſt, Conciliorum decreta, Summorumque Pontificum Sanctiones non minus tibi, quàm mihi leges patrias eſſe debere, ſi in Cæleſtis Hyeruſalem, quæ Chriſtianorum omnium patria eſt, ciuium numero adſcribi cupis; iterum dico, habes αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον.

CAPVT XIIII.

SI adeò tritum erat τὸ ὄψον pro *piſce* quandoq; poni, fruſtrà fuit Plutarchus, qui tàm multis verbis hanc rem ſibi exequendam putauit loco à me citato, fruſtrà item Athenęus, qui pluribus exemplis propoſitis eamdem, tamquam non ita vulgò notam conſtituere voluit: ac non minori otio abundaſſe Turnebus cenſeri debet, qui Aduerſar. lib. 20. cap. 31. eamdem rem ſua obſeruatione indignam non iudicauit: quæ tu de vocabulis ὄψον, καὶ ὀψάριον ſcribis, ad verbum extant in meo Lexico, ne μυστήρια nobis te prodidiſſe cenſeas: ego tamen, ne ingratus videar, pro iſto tuo tàm ingenti beneficio aliqua tibi rependam, quorum cauſa vadimonium deſerere debeas. Inter cibos delicatiores quadrupedes, aues, piſces numerari comperi: ex his etiam pluris fieri aues, & piſces, quàm quadrupedes obſeruaui; rurſus piſces maiori adhuc ſtudio quæſitos conſtat, quàm ipſas aues; vnde Tripatinum appellabatur ſumma cęnarum lautitia ex muręna, lupo, myxone, hincque ὀψοφάγους dictos autumat Athenęus, non qui carnem bubulam comederet, qualis fuit Hercules, nec qui ficos, qualis fuit Plato philoſophus, ſed qui in foro piſcario frequentes obuerſarentur piſcium emendorum cauſa: ab hac piſcium peculiari bonitatis nota factum eſt, vt nomen, quod generi prius competebat, ad ſpeciem ſignificandam tranſlatum fuerit, atque ὄψον deinde pro piſce caperetur; quo ſenſu dixit Strabo lib. 17. φησὶ Ἀριστόβουλος μηδὲν ἀναστρέχειν ὄψον εἰς τὸν Νεῖλον ἐκ

τῆς

τῆς θαλάττης, πλωὴ χεστρέως, ἢ θρίσσης, ἢ δελφῖνος διὰ τῆς κροκοδείλης. vbi rectè scriptum est ὄψον, non vllo Græci exemplaris vitio, vt existimauit Hopperus, aut quicumque tamdem Henricipetranæ editioni præfuit. Hanc ego gratiam tibi retuli, vt puto, non contemnendam; neque enim protrita hæc sunt, aut proculcata; ac quæras, quantum libet, non inuenies in tuis Lexicis.

CAPVT XV.

QVID ais tu, quem ego vnum vidi hominem audacissimum? malè concepta esse autumas Græca verba in Clemente Alexandrino, πλαγγόνιόν τε ἢ ψάγδας Αἰγυπτίας. quis ea malè concepit? quis *psagde Aegyptię* vertit? an verò non ita habet editio Florentię primum publicata ab eruditissimo viro Petro Victorio? an non deinde Basiliensis typographus eodem pacto diuulgauit? an non Gentianus Heruetus homo Gallus eo modo vnguentum illud Latinè extulit? cur Titium peccati insimulas, modò si id peccatum est, quod docti illi viri priores admiserunt? mecum sic bellè deciditur: sed neque illud peccatum est, neque Victorius, & Heruetus alicui culpę obnoxij sunt: ego censeo Gręca verba rectè omninò se habere, tantùm aliquantò commodius verti potuit ab Herueto *Psagde Aegyptia*; *Psagde*, inquam, ἀπὸ τῦ ψάγδυ, quomodo ego excudi iusseram; mihiq; suffragatur Iacobus Delechampius, cuius Latinam Athenęi conuersionē si vidisses, nō adeò temerè affirmasses *Maricam* nomen fuisse pueri barbari, cuius cognominem fabulam ediderit Eupolis: nunc cùm tibi licere volueris puerum illum tàm longè arcessere, cur mihi itidem non permittatur μαλακὸν quempiam comminisci, qui Eupolis fabulæ nomen imposuerit, in tanta præsertim scripturæ varietate? neque enim ignoras in impressis Athenęi codicibus tùm ἐν μαλακῷ, tùm ἐν μαρικᾷ, tùm ἐν Γ'μαρικῇ, tùm ἐν ὑμαρῇ scriptum reperiri, quibus lectionum varietatibus addo ego ἐν Μαρίλῃ, ἐν Εὐμαρίδῃ, cùm facilius multò sit statuere quid non sequaris, quàm quid sequaris. Μαλακὸς igitur est *mollis*, *facilis*, quo nomine dictus est Aristodęmus Aristocratis filius Cumarum tyrānus, vt refert Dionysius Halicarnassensis. ergo τὸ *Eupolis* ἐν Μαλακῷ erit in *Facili*, nam licet, opinor, Græcarum comœdiarum nomina Latinè efferre, sic Plautus Casinę prologo.

Clerumene vocatur hæc comœdia
Gręcè, Latinè Sortientes. & Mercatore.
Græcè hęc vocatur Emporos Philemonis,
Eadem Latinè Mercator Marci Accij.

Erasmus hæc Plutarchi verba, πάνυ μὲν ἂν ἂν μεθ' ἡδέας βιοῦν μέλλω

τις

τῆς ἑταίρας καὶ λεοντίῳ συγκαταζῆν, ita vertit. *Prorsus igitur si cum Iucundo scorto sit vitam acturus, si cum Leontio consuetudinem habiturus.* cùm Hedia sit nomen proprium meretricis: neque paucioribus, mehercule, scripturæ varietatibus dubium redditur illius vnguenti, cuius supra meminimus, nomen; nam & ψάγδας, & σάγδας, & φέγδας appellari comperi, vt neque tibi etiam, si verum fateri vis, satis constitutum esse possit, quomodo id efferri debeat. Plauti scripturam *bdelium* manasse primùm ab Italis correctoribus ostendit Ioãnes Baptista Pius ad illum locum, qui Plautinæ insuper lectionis varietates commemorat has, *Petalium, Ptelium*; his ego ex coniectura addidi *Megalium*; idq; genus vnguenti Plauti ætate non incognitum Romanis fuisse opinor, quomodo alia plura in Græcia temperari solita apud ipsos irrepserunt; & sanè cùm id Menandri Poëtæ Comici temporibus celeberrimum esset, auctore Plinio, non video, cur deinde Plauti ætate eius confectio in desuetudinem abire debuerit, imò Dioscoridis verbis ferè adducor, vt credam, paulò ante sua tempora id obsoleuisse, inquit enim τὸ δὲ μεγαλεῖον καλούμενον, πάλαι μὲν ποτὲ ἐσκευάζετο, ἐκλέλοιπε δὲ νῦν. sed vt ante Plauti tempora eius confectio deperierit, quid vetat Latinum comicum ipsius, tamquam vnguenti, quod esset olim nobilissimum, meminisse? denique nisi aliquo locupletiore teste (nam tibi ne iurato quidem credimus) aut aliqua saltem probabili ratione rem istã confirmes, numquam efficies, quin te audacem, hatumque literarum imperitissimum esse prædicem. Postremò Camerarij *bdelium*, tùm aliis de causis, tùm hac reiicio, quia id nonnisi igni impositum odorem mittat, nec vnguentum ex eo confici nouimus; illa autem Plautina anus vnguenta mera loquebatur.

Nam omnium odor vnguentorum pre tuo nautea est,
Tu mihi stacte, tu cinnamum, tu rosa,
Tu crocum, tu casia es; tu bdelium, nam vbi
Tu profusus, ibi ego me velim sepultam.

intelligit enim vnguẽta ex stacta, cinnamo, rosa, croco, & casia (nam & hęc quoque vnguentis miscebatur) confecta: bdellij in vnguentis nullus vsus; itaque probabiliter ego *megalium* reposui in Plautino carmine, neque tamen absurdè fecisse existimandus est Philippus Beroaldus, qui illuc non quidem ipse *petalion* inuexit, sed ab aliis inuectum sua explicatione planum reddidit, sic enim scribit in Commentariis ad Suetonium in Cæsare. *Nostri vnguentarij, vt docet Plinius, non solùm folia, sed etiam spicas nardi in vnguento celebrant; Grecè στάχυς, Latinè spica dicitur, de quibus Iuuenalis, & Martialis meminerunt. Foliatum videtur Greca dictione signare voluisse Plautus, cùm dixit in Curgulione. Tu petalium. πέταλον enim Greci vocant folium, vnde petalion foliatum, quod*

est pretiosum vnguenti genus ex nardi folio confectum, scio apud Plautum illud petalion aliter legi posse; sed hoc probamus. hæc dicunt Itali correctores, ô stupor; *Μίνδαξ est genus vnguenti regij; Hesychius μίνδαξ, θυμίαμα.* tergemino plausu excipi debet hoc tuum enthymema, *μίνδαξ est θυμίαμα, ergo μίνδαξ genus est vnguenti regij:* quis risum contineat, Dialectice? hic in Etruria ne subulci quidem istoc pacto argumentantur: at velim consideres diligenter, num præstet legere apud Athenæum, *καὶ τὴν βασιλικὴν θυμιᾶτε μινδακος*; nam ista tua *μίνδαξ* nemini adhuc regiè oluit. *De vnguento regio* præter id, quod memorat Crates, sic extat apud Plinium lib. 13. *Ergo regale vnguentum appellatum, quoniam Partborum regibus ita temperatur, constat myrobolano, costo, amomo, cinamomo, comaro, cardamomo, nardi spica, mirrba, casia, styrace, ladano, opobalsamo, calamo, iuncoq; Syrio, œnanthe, malobatro, sericato, cypero, aspalatbo, panace, croco, cypero, amaraco, colato melle, vino.* sic palmæ regiæ dictæ sunt ob honorem, quoniam eæ regibus tantùm Persidis seruarentur Babylone natæ in vno hortu Bagou. Quòd putas ignorasse me vnguenti *megalij* originationem ex Plinij sententia, longè falleris; sed voluisti lauream in mustaceis: atenim vereor ne vrticam potius inueneris, nam vnguento illi nomen inditum censent docti viri à magnitudine virium, quibus pollet: consule, quæso, tuum Lexicon in voce *μεγαλεῖον*: quod etymon nonnihil confirmari puto his Plutarchi verbis *τῶν συμποσιακῶν* decade quarta. *ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ὅταν μιγνύντες τὰς βασιλικὰς ἀλεξιφαρμάκους ἐκείνας δυνάμεις, ἃς θεῶν χεῖρας ὠνόμαζον.* nam quid tu tibi velis, cùm ais, *μεγαλεῖον ἀπὸ τοῦ μεγάλου, & magnificentia appellatum esse*, bona fide ignoras; quæ enim isthæc *magnificentia*?

CAPVT XVI.

CANIS latrat, saxis eminus impetite pueri ferocientem, ac rictum ad morsum horribiliter diducentem: Extare dixi inter Appendices Virgilianas hæc duo carmina ex endecasyllabo quopiam,

> *Et quicquid Lybico secatur auro*
> *Non vna positum tenere cella.*

tu clamas reperiri in Catalectis Iosephi Scaligeri, non in Appendice Maroniana: quid? an non tota illa tua farrago abs te inscribitur. *P. Virgilij Maronis Appendix cum supplemento multorum antehac numquam excusorum poëmatum veterum poetarum.* quæ in Supplemento isto reperiuntur, æque in Appendice contineri constat, tamquam pars in toto; sed vocentur *Catalecta*, vt tu iubes, nolo enim tecum pertinaciter *μικρολογεῖν*, sunt ne ea *Catalecta Iosephi Scaligeri*, an *Veterum poetarum*,

inscriptio illorum librorum ita habet, *Veterum poetarum catalectorum libri duo*. ergo Scaliger est vetus poëta? ipsum quidem versificatorem esse non omninò pessimum Lycophronis Cassandræ Latina conuersio, Aiax Lorarius ex Euripide translatus, lectissima quæpiam epigrammata, Vrania Musa, alia huius generis plura non obscurè declarant; poëtam verò esse,& quidem veterem non antè fatebimur, quàm probaueris te sanæ mentis fuisse,cùm isthæc scriberes,nam certè ea blateras, quæ ne stultorum quidem stultissimo vmquam in mentem venissent; quo enim ore pronunciaré audes epigramma illud nullibi extare præterquam in tua farragine? an, quæso te, hîc in Italia multa veterum istorum scripta non reperiuntur? miseret me leuitatis tuæ, inscitiæ, atque impudentiæ: sed concedamus tibi abs te primò loci illius vitium fuisse detectum; qua nam tandem ratione inscitiæ tuæ notam elues,quam te subire necesse est, proptereaquòd endecasyllabi verba ad citrum retuleris, cùm de tritico manifestè accipi debeant? Hîc in Etruria beatiores qui sunt, consueuerunt

Aut pluma latus abdidisse molli,
Aut auro bibere, aut cubare cocco,
Regales dapibus grauare mensas,
Et quicquid Lybico secatur aruo
Non vna positum tenere cella.

in cellis enim frumenta stipant Romanorum more,quem respexit illic auctor epigrammatis,est enim *cellæ* generale nomen,quod adiunctis distingui solet, vt *cellam vinariam,oleariam,frumentariam* dicamus; ac de horreo quidem, vbi triticum asseruatur, extat hoc M. Tullij testimonium actione prima in Verrem. *Queritur Sicilia tota C. Verrem ab aratoribus, cùm frumentum sibi in cellam imperauisset*; & reliqua: contrà *horreum* pro cella vinaria dixit Horatius ibi,

Nardi paruus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpitiis accubat horreis.

in cellis igitur frumentum condebatur ad diuturnitatem temporis: vnde *cellarium* dictum, *quòd in eo colligantur ministeria mensarum*, inquit Isidorus, *vel quæ necessaria victui supersunt.* In cellis ligna ex citro, aut citreas mensas condi solere nondum legi:

CAPVT XVII.

DICIS me frustrà adducere versum Cęcilij, *Liber essem iamdiù, si habuissem ingeniosos coamatores mihi.* huiusque tui pronunciati nullam omninò rationem affers; itaque minimè mirari debes, si tibi fidem non adhibemus, rationum siquidem momentis, non nudis

verbis

verbis diſputari oportere ſemper exiſtimauimus. ego probè intelligebam nullum exemplum vocis *coamicus* me afferre poſſe; incidi in ſimile, ac propè geminum *coamator:* propoſui ἐκ τοῦ ἀνάλογου *condiſcipulum, cohæredem, conſponſorem, commilitonem, conſeruum:* indicaui inſuper ſuſpicionem meam περὶ τοῦ *coguus*, vnde veriſimilis redditur coniectura, quam feci de Ciceronis loco: tu nihil contrà affers, quod eam impugnet; ſed tranſis ad notam expoſitionem vocabuli *Comicus* ab omnibus fermè interpretibus hactenus decantatam; de ea, tamquam de tuo inuento ſtolidè gloriaris, & lectiſsimis verbis rem nulli non cognitam exponere pergis, ne obmutuiſſe videaris, Ἀττικὸς εἰς λιμένα. Dixi te nihil contrà afferre, quod meam coniecturam conuellat; nam prorſus nihil affers, cùm ais. *quo verbo numquam vſus eſt Cicero, neque alius æqualium Ciceronis.* etenim plura vocabula enumerare poſſum, quibus rariſsimè, ac vix iterum fortaſſe Cicero vſus fuerit, cuiuſmodi sũt, *Peteſſo, repedo, fodico, refractarius, iniurius, indulgeo* pro *addictus ſum*, ac *vehementius ſtudeo, culpo, prædictus*, pro *ſupradicto, munero, ſanèquam, temerè*, pro *ferè, eſſentia, indoloria*, ſiue *indolentia, obnuptio*; atq; alia præterea non pauca, de quibus Budęus, & alij nos admonuerunt; complura etiam huiuſmodi notata haberemus, niſi Statilij Maximi libri de Singularibus apud Ciceronem poſitis naufragium paſsi fuiſſent, quorum aliquot tabulę in Soſipatri Chariſij litore tempeſtatem euaſerũt: tu tamen, ſi circumſpectè loqui volebas, addere debebas illi tuæ inſulſiſsimæ orationi, *quo verbo numquam vſus eſt Cicero, neq; alius æqualium Ciceronis in his, quæ ipſorum extant, operibus*: nam de illis, quæ interciderunt, quomodo id affirmare auſis, baceole? quoniam verò M. Antonio Mureto aliquid aſſerenti, abſque aliis teſtibus fidem illicò habere conſueuiſti, iubeo te ipſius Variarum Lectionum libri ſeptimi caput 20. adire, vbi de quodam loco Ciceronis è ſecundo de Finibus aduerſus Victorium, & Manutium diſputat; ibi inſcitiam tuam, tamquam in nitidiſsimo ſpeculo expreſſam apertiſsimè cernes. interim tamen locum Cęcilij indicare libet, in quo *coamicus* vſurpatum reperi;

Hodie (inquit ille) *me antè omnes coamicos ſtultos ſenes*
Verſaris, atque luſeris lautiſſimè;

ita enim in pluribus M. Tullij probè, ni fallor, excuſsis libris exaratum legitur, non *comicos*, veluti quibuſdam placere video.

CAPVT XVIII.

SI hæc animaduerſio leuiuſcula tibi videtur, nec ſatis digna, vt tempus in ea poni debuerit, meque hoc nomine reprehendendum ducis, cur non potius Canterum inſimulas, qui huic leuitati occaſionem

præbuit? si ei licuit Horatij locum deprauare, cur mihi vitio vertatur, si Latino poëtæ veram lectionem asserere conor? certè iniurius es, nec æqua lance vteris; mitiorem, sat scio, Canterum ipsum experirer, ac tantum abest, vt is mihi *Lyricen* exprobraret, vt ex hoc loco, *Velut tertiam in illo apud eumdem Lyricum*, illum alterum tãquam librarij opera perperam conceptum, ita emenderet, *Suauissimum Lyricum*: ita enim scriptum à me fuit, sed ab operis impetrare nequiui, vt hoc vocabulum ad fidem exemplaris ederetur: super quo vocabulo volo tibi cinnameã Sosipatri Charisij obseruatiunculam indicare, de qua tibi stercoreo homini nihil fortasse suboluit. *Omnia nomina* (inquit ille) *quæ in en terminantur in nominatiuo casu, ea in genitiuo efferuntur per is mutata præcedente syllaba in i, sunt penè omnia neutralia, exceptis his tantùm nouem, quæ masculina videntur; & sunt masculina in en; hic tibicen tuba longa, tubicinis; liticen ex lituo, tubæ genus, liticinis; cornicen, ex cornu minore, cornicinis; tibicen, ex tibia, tibicinis, fidicen ex fidibus, fidicinis*; & reliqua. rursus. *En terminata nomina masculina tantùm inuenies*. & reliqua. *Faciunt quædam & communia, vt cornicen, liticen: nam tibicen masculinum est, facit enim fœminino genere tibicinam*. sic soleo amicos.

CAPVT XXI.

DI *magni filicippium disertum*. De aris, & focis tibi certamen susceptum est, propattereàquod Scaligeri, hoc est tua res agitur, cuius iudicium, & coniectura falli non potest, ipse enim solus sapit, reliqui velut vmbræ feruntur; itaque tùm hìc, tùm apud Senecam procul dubio *Salaputium* legi debet ex cunctis manu exaratis, & antiquitus excusis exemplaribus, sed quæ tu vetera scripta exemplaria, quos libros excusos prædicas? cùm certum sit in Catulli endecasyllabo *Sophopichium* olim scriptum fuisse, vnde manarunt deinde alia monstra verborum, *Salapontium, Saliplautium, Salopichium, Solipungium, Salapittium, Scelophegium, Holopachium, Ascolabotium*, & quid non? extitit demum Honoratus Ioannius, qui veram lectionem primus indicauit, *Salicippium*, hanc eruditi omnes deinceps sequuti sunt, Achilles Statius, Paulus Manutius, Marcus Antonius Muretus, Hadrianus Turnebus, omnes denique vno excepto Scaligero: sed nemo, hercle, futurus est, qui non cum doctis illis viris insanire malit, quàm te magistro erudiri, præsertim cùm Græci scriptoris exemplo emendationem illam tueri liceat, quod mihi non iniuria hunc Latini poëtæ locum in memoriã reuocauit, cui non absimilis est, quòd dictionis compositionem respicit, illud alterum *Salisubsolum* ex carmine ad Coloniam: neque potes inficiari, quin breui, atque humili corpore homines, & parum supra

terram

terram extantes cippos inſcendere ſoleant, vt ſint magis conſpicui; & Polyphemus de rupe litoris cōpellans Galatheam oſtendit ſe non adeò corporis ſtatura excelluiſſe, vt quantum ſatis eſſet, aciem in altum extendere poſſet, quare neceſſe habuit ad illud auxilium cōfugere, quod eius exiguitatem vtcumque ſubleuaret. Coridonem penes Calphurnium, ſi carmina in cortice fagi notata lecturus fuiſſet, puluinum ex pluribus lapidibus conſtructum, aut columellam aliquam conſcendere oportuiſſet, Ornitus de plano eadem inſpexit, nimirum quoniam ei

-longa ſatis pater internodia largus,
Procerumq; dedit mater non inuida corpus.

Tribue Polyphemo eam membrorum proceritatem, quæ ad luſtrandum oculis vniuerſum pelagus ſatis ſit, auferes ei laborem extollendi ſe in rupem, vt Galatheam inde compellet: eadem ratione ſcopulum Aeneas non conſcendiſſet, ſi adeò vaſta corporis mole præditus fuiſſet, vt de litore pelagus omne perſpicere valuiſſet, verumtamen

-ſcopulum conſcendit, & omnem
Proſpectum latè pelago petit. ſic ille apud Pacuuium Chryſes,
Incipio (inquit) *ſaxum tentans ſcandere vorticem*
In ſummum, dein in omnes partes proſpectum aucupo.

Dion Romanarum hiſtoriarum lib.39. narrat Catonem, & Ninnium, cùm ij furtim in Curiam irrepſiſſent, quorumdam humeris inſiſtentes, ab iiſq; in ſublime elatos, concionis ſoluendæ cauſa de cœlo ſeruatum eſſe nunciaſſe. conſimile factum commemorat Tacitus Annalium primo de Vibuleno quopiam gregario milite. hactenus conſtitui meam ſententiam ſublatis difficultatibus omnibus, quas tu ei vtcumque obiecisti, nunc volo conuellere φαντασίαν tuam, ſi prius tamen furtum patefecero. Tu aſſeris *Salaputium*, deq; hoc commento plus tibi places, quàm Peleus de machęra: at ego memini ita olim me legere in Commentariis Philippi Beroaldi in Suetonium in vita Cęſaris. *Di magni ſalaputium diſertum. ita appellauit Caluum à paruitate ſtaturę, tamquam vocabulū hoc iſtud ſignet; & ita ſignificare euidenter oſtendit Seneca lib.4. Suaſoriarum.* & cętera: iſtud ſibi, vt vides, iure ſuo vendicat Beroaldus,

Inepte, quod palàm ſoles habere, tamquam auitum,
Quod nunc tuis ab vnguibus reglutina, & remitte.

Guarinus quoque in ſuis ad illum Catulli locum Commentariis hanc lectionibus cunctis præferendam eſſe cenſet; ſed non erat tanti, furti te alligare, namque huiuſmodi commentum eruditis viris placere nondum poteſt, mihi certè neque indocto iuueni, neque naris obęſę neſcio quid rancidi olet: Primùm enim ſi *putus* eſt ὑποκόρισμα nutricum, vnde efficis *putium*? deinde ſi à πυσθός extrito σ deriuatur prima correpta, quomodo ſtabit verſus, qui & in ſecunda ſyllaba vocabuli *Salapu-*

tium

tium claudicabit,ſi fiat à *Salaputa*,quæ caudam ſalacem ſignificat? vide quot ſalebræ occurrunt in iſto tuo commento. prætereo iam alias verborum contortiones,quas ſine riſu legere nequeo: verumtamen ſi hoc ingenioſè fatuo commento tantopere capiebaris, ſaltem deduxiſſes à *ſale, & puto*, vt eſſet *ſalaputum*, quomodo dixit Lucretius,

Paruula, pumilio, χαρίτων μία, tota merum ſal.

aut à *ſale, & puſio*, quod, vt Guarino placet, ſignificat hominem paruum plenum ſale,id eſt facetiis,& mordacitate. Redeo ex diuerticulo ad illud primum, vt connexione quadam verborum reſpondeam alteri tuæ diatribæ: dixi autem eos, qui adeò exigua corporis ſtatura prædit eſſent, vt neque ipſi conſpici, neque ſatis ipſi cernere poſſent, eminentem quempiam locum, aut congeriem lapidum, aut aliquid aliud conſcendere conſueuiſſe, ſicut fecit Polyphemus, Aeneas, Cato, Ninnius, & Vibulenus; addo nunc eodem pacto Diomedem columnę ope, atque auxilio conſequutum fuiſſe, quod præ corporis exiguitate conſequi alioqui non potuiſſet; dico autem *columnæ* ope, atque auxilio, quouiam *κολόσσον ἀντὶ τῦ ςήλη*, ac viciſsim *ςήλω ἀντὶ τῦ κολόσσυ* accepiſſe videtur Lycophron eo in loco,

Στύλαις δ᾽ ἀκινήτοισιν ὀχμάσει πέδον.

ςήλαι hîc ſunt ſigna, & ſtatuæ Diomedis, quomodo *ἀγυιᾶς* tùm aræ, quæ eſſent ante ędes, tùm columnæ, tùm ſtatuæ deorum dicebantur: tu illic apud Lycophronem *cippos* vertiſti inquiens,

Cippos latè cinget immotis humum.

quod tamen nō vitupero,& illud etiā tuum *coloſſicus* non inuitus agnoſco; ſed velim cogites me Tranſalpini hominis,tibiq; amiciſsimi,tuoq; iudicio longè doctiſsimi ſententiam ea in re ſequutum fuiſſe, vt, ſi quid peccatum ſit,non mihi,ſed illi acceptum ferri debeat. Cęterùm *ἱπποβάμων* tibi valet, non qui equo inſidet, ſed qui baſi equinę inſiſtit, vt penès Euripidem *στρατὸν ἱπποβάμονα* copias quadrupedanter incedentes nos interpretari oporteat, non equeſtres, quomodo hactenus iſta veſtra Lexica docuerunt: ſed, ne erres, verum nos docuit Gulielmus Canterus; ac Simeon ille, Danielq; ſanctiſsimi viri tàm *ςυλοβάμονες*, aut *κιονοβάμονες* compoſitis vocabulis dici potuerunt, quàm *ςηλῖται καὶ κιονῖται*, quinimo illis alteris nuncupationibus vitaretur ambiguitas vocis *ςηλίτης*, quæ de eis quandoq; dici conſueuit, qui in ærarium relati eſſent; ſed res tulit, vt illo pacto primùm vocarentur, idque vſu deinde receptum eſt: multa autem, quæ ad hanc rem pertinentia adduci poſſent, conſultò prætermitto, eaque iis relinquo, quibus per otium licet quouis loco quæuis inculcare; mihi non licet, neque etiam libet.

CA-

CAPVT XXII.

SIT ἐπιφώνημα, sit allusio, sit denique quicquid benè potus, ac temulentus inter acidos istos ructus, roncosque somnias Aeliani illud ὑπὸ παντὶ λίθῳ καὶ βώλῳ πάσῃ σκορπίος ἐστί: certè ab eo facto, aut aliquo ei simili prouerbium manasse credibile fit, atque adeò ita scripsi in libris Locorum controuersorum, vt mirari subeat impudentiam tuam, cuius toties impressa vestigia appareant in his tuis Diatribis, ea fecit, vt hîc quoque verba mea peruerteris, ac sententiam in absurditatem detorseris, vt vberiorem copiam scilicet tibi comparares scriptiones meas incessendi: mihi satis fuit prouerbium illustrasse, & vnde oriri potuit probabiliter ostendisse, quod Aeliani lectio mihi suggessit, quamquam idem quoque didiceram ex Aristotele in Commentario περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, vbi hæc res totidem fermè verbis recensetur; Strabo itidem γεωγράφ. lib. 14. quippiam narrat, quod huic prouerbio maiorem adhuc lucem importat, scribit enim vrbem Alabandam ita sitam esse, vt cistæ inuersę speciem repræsentet, vnde Apollonius Malacus tùm ob hoc, tùm ob scorpionum multitudinem vrbem illam carpens appellauit ipsam κανθήλιον κατεστραμμένον σκορπίων: subdit deinde Strabo. μεστὴ δ᾽ ἐστὶ καὶ αὐτὴ, καὶ ἡ τῶν Μυλασσέων πόλις τῶν θηρίων τούτων, καὶ ἡ μεταξὺ πᾶσα ὀρεινή. nunc ad te reuertor. Si de te quæram, Villiomare literatorum antistes, quisnam ἐπιφωνημάτων vsus sit, & quomodo ea in oratione adhiberi soleant, nisi & hîc quoque impudentissimè, vt tuus est mos, mentiri velis, ignorare te fatearis oportet, postquam illud Aeliani ἐπιφώνημα esse imperitè nimis pronunciasti, cùm αἰτιολογίαν potius vocandum fuisset, ait enim ὑπὸ παντὶ γὰρ λίθῳ καὶ βώλῳ πάσῃ σκορπίος ἐστί. atque ita in meis libris scribi oportuisse eiusdem loci Latina conuersio satis docet. *Nam subter omnem lapidem, & cespitem abditus scorpius manet.* vnde scire poteras per imprudentiam grammatolectis, siue amanuensis omissam fuisse in Græco contextu voculam γὰρ, quæ rationis reddendæ nonnullam vim obtinet, quęque in omnibus Aeliani exemplaribus nullo excepto disertè spectatur: quomodo autem distent ἐπιφώνημα καὶ αἰτιολογία notum iis est, qui non ita crasso ingenio, vt tu, præditi sunt, nam id Demetrius, & Quintilianus pręter cæteros docuerunt: ac fortasse memoria tenes amplificationes illas Virgilij omnibus in scholis decantatas,

Tantum æui longinqua valet mutare vetustas.
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.
Et dubitant homines serere, atque impendere curam?

De

De vſu prouerbiorum rectè præcipis ex parœmiographo, cuius caput de Figuris prouerbialibus haud omninò peſsimè in compendium redegiſti. Cęterùm de interpretatione illarũ vocum, ἐν τῷ δευτέρῳ σαθμῷ *In itinere ſecundi diei*, reſpondeant tibi Petri Gyllij manes, quos te nullo nationis tuæ reſpectu peſsimo exemplo ſollicitaſſe non pudet: tu potius doce nos, cur figuratè loquendum tibi duxeris, cum ais, *Magna vis ſcorpionum vulgò naſcuntur:* quid attinuit hûc poëticam phraſim aduocare? quis orator ita loqui conſueuit? & nihilominus tamen ad tuã reprehenſionem ita habe. Beniamin in Itinerario. *Tharſis hodie Malmiſtras dicta, vrbs eſt ad mare ſita, diſtat duobus itineribus à Corcos, quæ terræ Edon initium eſt eius, quę Armenia vocatur.* ſed faceſſat barbarus hic auctor, & in medium procedat dictionarij Græcolatini conſarcinator, homo Gallus, vt puto; is in σαθμὸς ait. *diuerſorium, iter vnius diei:* & ſanè haud parum diſtat diuerſorium, quod manſioni reſpondere arbitror, à ſtatiuis, nã Aelius Lampridius in Alexandro Seuero ita inquit. *Itinerum dies publicè proponebantur, ita vt edictum penderet ante menſes duos; in quo ſcriptum eſſet, illa die, illa hora ab vrbe ſum exiturus, &, ſi dij voluerint, in prima manſione manſurus, deinde per ordinem manſiones, deinde ſtatiuę, deinde vbi annona eſſet accipienda.* hæc ego tirunculus tibi veterano breuiter reſpondere habui.

CAPVT XXIII.

MERA tua coniectura eſt, hoc eſt hybernum ſomnium τὸ *puro pectore, & puro puero*; quamquam quis ita loquitur *puro puero? ſceleris purum* dixit Horatius; *pectus purum* tùm Horatius, tùm multò ante Ennius: *haſtam puram, vinum purum*, alia huiuſmodi ſexcenta audiuimus: *purus puer* non dum comparet in veteribus ſcriptoribus: itaque lepidiſsima iſta tua alluſio cuiuſmodi ſit, nequeo intelligere. fœminas puro pectore, ſimileſque puero intelligit Iuuenalis, cùm ſcribit Satyra 13.

In Meroë craſſo maiorem infante mamillam.

verſum autem Lucilij mutilum eſſe vnicuique cognoſcere licet.

CAPVT XXV.

EGO paucis tibi expediam tuarum dubitationum exitum, quas in mea declaratione ad Horatij locum tibi fingis, nam ad illud tuum declamatorium procœmium non vacat reſpondere, πολυτελέστατον γὰρ ἀνάλωμα χρόνος. Primùm igitur cur *Rhamnes* non *Rhamnos* Latini dixerint ſubobſcura eſt, atq; impedita ratio, neque verò, vt interim

quit ille, omnium,quæ à maioribus tradita sunt,ratio reddi potest; interim tamen eam petamus ab eorum hominum consilio, qui peregrinam vocem in Latium inuexerunt,ij,vt nota aliqua transmarinum vocabulum insignirent, peregrina inflexione illud enunciare voluerunt; porrò veteres non admodum religiosos fuisse in huiuscemodi grammaticorum præceptiunculis custodiendis argumento interim sit *lytæ*, quod esse deberet *lyti*, à Græco *λυτοὶ*, non *λύται*: deinde *τὸ Celsi* non est adiectiuum, vt tu vacuum caput, cuius per inane assiduè grylli volitant,credidisti; sed substantiam,vt ita dicam,significat auctore Festo. *Celsus* (inquit ille) *ex Græco κέλης eques dictus*; hoc tu ignorare non debebas,si is es,quem multorum sermones,atque adeò vestrates librorum mācipes suis indicibus,quos hûc ad nostros transmittunt, esse perhibent,in iis etenim disertè notatum vidimus, *Scaliger contra Titium*; sed siue Scaliger sis, siue quis alius, hoc te hominem tàm eruditum ignorasse nimis quàm turpe fuit, dissimulasse malignum: non tamen facilè dederim *Rhamnes ἐπιθετῶς* illic enunciari, sed ab oppido nomen deduci crediderim,quomodo à Trossulo Tuscorum oppido Trossuli Equites dicti sunt: verumtamen sit,vt somnias, *τὸ Celsi* valet *equites* auctore Festo. Cęterùm quòd in Suida scripturæ peccatum emendas, tunc nobis te non prorsus temerarium esse persuadebis, cùm peccati causas nobis patefeceris, namq; adhuc nec peccatum agnoscimus, nec istius tuæ castigationis rationem videmus.

P ROBERTI

ROBERTI TITII BVRGENSIS

ASSERTIONIS LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

RESPONDEBO ad ea, quæ intelligo, nam ad alia quo modo possim? ac tu dedita opera obscurè interdum loquutus fuisse videris, ne absurda, aut vana tua sententia pluribus à me confutaretur, quod voluisti, fecisti; ad id, quod intelligo, sic habe, non me de Burdone tuo primùm cognouisse, quid esset *Moretum*, nã id multò an ea certius, atq; eruditius docuerat nos Ouidius Fast. 4.

Non pudet herbosum, dixi, posuisse moretum
In dominę mensis? an sua causa subest?
Lacte mero veteres vsi narrantur, & herbis,
Sponte sua si quas terra ferebat, ait.
Candidus elixę miscetur caseus herbę,
Cognoscat priscos vt Dea prisca cibos.

sed & Turnebus de hac re nonnihil adnotauerat Aduers. lib. 16. cap. 17. & mirum est, ea te non vidisse, quæ Dictionaria quoque vestra nobis suppeditant; ego scio Scaligerum ingeniosè admodum insanisse, τρίμμα, μυσωτὸν, Atticè μυττωτὸν, *inde Moretum u in o*, & reliqua huius generis plura more suo, quæ me didicisse non magis velim, quàm Punicas Mylesias, & aniles fabulas. *Suo cibo sua mœnire mœnia*, adhuc quęro in Plauti, quę extant, fabulis; in Milite sanè ita legi,

-sis magna munis mœnia. alibi etiam his dictionibus idem Comicus diuisim, ac separatim vtitur, quod tamen ad rem nostram nihil pertinet.

CAPVT III.

TO' *in historia quadam percensenda*, mi puer, non regitur à verbo παραλογίζεσθαι, sed innititur sibi ipsi, vt si dicas, *dum historiam quandam percenset*. aut igitur absolutè dici non potest, παραλογίζομαι, aut nihil peccatum est illo sermone: atqui Lexicon docet παραλογίζομαι valere *decipio falsis sermonibus, falsa argumentatione vtor, illudo*: ergo vapula.

CA-

CAPVT VI.

NON dicit Horatius debere Neobulem ab Hebri amore penitus abstinere, neque hoc ego vnquā volui, sed aliquando eā sollicitudines, quę inde manant, deponere oportere; nam (vt inquit ille apud Plautum) bonum est pauxillum amare sanè, insanè non bonum est; quod qui non facit, miser est, non secus, ac qui patrui obiurgationes semper metuit: ergo miserarum est, neque ab amore interdum cessare, neque animi curas, & sollicitudines vino, & compotationibus quandoq; pellere, aut seueras aliorum reprehensiones numquam non metuere; quid absurdi hæc sententia continet Aristarche? Porrò *dare ludum amori* est ab amore quasi feriari, vt dixi, hoc est ipsi amori ludendi tempus, & facultatem quasi præbere; sic dixit Plautus *dare ludum argentariis, nato, Sticho*, pro vacationem eis concedere; vel *dare ludum alicui* est ludendi materiam illi tribuere; non longè hinc abest quod ait Catullus; *Ludicrum sibi roscido Nutriunt humore*. eiusdem propemodum generis est Horatianum illud, *-tu nisi ventis Debes ludibrium caue*. Hieronymus Vida (nam recentiorum quoque doctorum virorum, testimonia interdum producere non absurdum arbitror) Ecloga, cui titulus, *Nice, dare solatium amori* dixit,

Coniugis amissi sinus pulcherrima Nice
Flebat, & in solis errabat montibus ægra,
Atque homines fugiens mæsto solatia amori
Nulla dabat, luctu sed cuncta implebat amaro
Flens noctem, flens lucem.

Respondeo igitur interrogatiunculæ tuę, cùm ais: *Quid? contraria sunt, indulgere amori, & ἐρωμανία*; respondeo, inquam, mi Villiomare, non esse isthæc contraria, sed maximè contraria, longissimoq; interuallo disiita esse affirmo, *Non indulgere amori, & ἐρωμανίαν*. siquidem qui amore captus non est, illa insania minimè laborat, cùm verò Neobules ita affecta esset, vt ei qualum Cythereę puer ales, operosæq; Mineruæ studium auferret Liparei nitor Hebri, quomodo diceret Horatius, ipsam amori non vacare? vacabat illa quidem, atq; ita sanè, vt ferè extra se posita esset: at, inquis, τὴν συνουσίαν intelligit poëta: si tu hoc *dare ludum amori* vocas, vicisti; sed quis hanc interpretationem ferat? paulò supra dixisti dare ludum esse metaphoram à ludimagistris, qui Floralibus, & aliis eiusmodi diebus pueros feriari sinunt, ac tunc dici dare ludum pueris, cùm ludi, vel ludendi potestatem illis faciunt, vnde metaphora in alias res diducta, vt dare ludum alicui sit indulgere illi, neque ab eo quotidianum pensum, aut laborem exigere;

nunc non modò à Neobule amoris quotidianum penſum,hoc eſt ἐρωμανίαν expoſcis, ſed vis eam aliud maius,& quo nullum omninò maius reperiri poteſt, penſum facere,nimirum eam Veneris partem capere, quæ ſumma eſt, & poſt quam nulla alia pręterea expectari poteſt: eam ſibi contingere amantes omnes,tamquam finem amoris vehementer expetunt,

Laus in Amore mori, laus ſi datur altera viuo
Poſſe frui, fru tr ò ſolus amore meo,

inquit Propertius: ſatiſne intelligis, quàm tibi conſtes Palęmon? abi nunc, caudex, & dic me ne ſenſum quidem cõmunem habere: ſi iſtud tuum ſapere eſt, aſini iam, & Burdones de ſuperiore loco profitebuntur. Sapphus carmina tàm ipſe ex Hepheſtione hauſi,quàm Petrus Victorius; quare deſine criminari: ſed nonne eadem in codicibus Anacreontis, quos Henricus Stephanus publicauit,impreſſa circumferuntur? vnde tibi conſtat ea ex Victorio potius,quàm ex Hepheſtione,aut ex Stephano me ſumpſiſſe?denique quid refert,vnde ſumpſerim?non ne idem vir Gallus, de Gręcis literis optimè meritus, atque vndequaq; eruditiſsimus,βραδινὰν acrem interpretatur? & quomodo aliter potuiſſet, ſi epithetum rei, qua de tunc agebatur, debebat reſpondere? de amoris impotentia conquerebatur ille, quiſquis fuit,& tu vis Venerem ab eo mollem, delicatamque nuncupari? adſcribam exemplum Latini poëtę in re ſimili,vt diſcas in loco epithetis vti, Horatius,

Mater ſæua Cupidinum, Thebanęq; iubet me Semeles puer,
Et laſciua licentia Finitis animum reddere amoribus.

Super loco Theocriti quid aliud dicam,quàm te lauream in muſtaceis quæſiuiſſe? triumphas de Titio,quia tantidem facis,aut eum malum interpretem eſſe,aut malorum interpretum fidem ſequi,eum enim probat,quem ſequitur. adhuc,vt video,tibi perſuaderi nõ poteſt,pleraſq; omnes Gręcorum locorum verſiones à iuuene mihi amiciſsimo in illis meis libris me quidem permittente fuiſſe appoſitas: is vulgatas verſiones ſequutus conſulere voluit ignaris exotericæ literaturæ, ſed me interim pudet, tædetq; leuitatis tuę, & temporis iacturæ, quam feciſti in huiuſmodi erratis, vt tu vocas, exagitandis; verùm quid ageres, cùm alia grauiora tibi non ſuccurrerent?

CAPVT VII.

SI in quemquam competit iſta tua reprehenſio,in Stephanum certè Doletum maximè competit,qui Dialogo de Imitatione Ciceroniana ſcripſerit. *Deprauatum verò antea, & librariorum incuria, inſcitiaq; Ciceronem ſic reſtituit virorum doctiſſimorum tùm Gallorum, tùm Italorum*

lorum diligentia,& assiduus in literis labor,vt omnia in illo nitescant,atque splendeant,vt in illo nihil iam offendi,nihil displicere,nihil animaduerti possit,aut mendosum notari : nunc ego magna circumspectione vsus fui dicens. *Vt in vniuersum tutò pronunciare liceat, nullius correctoris opera magnopere eos indigere*. tu fingis me dicere. *Nullius correctoris opera eos indigere*. ac paulò post addis. *Quid,mi homo? iam dicebas libros Plinij non indigere correctore?* an hęc manifesta calumnia non est? amoues ex contextu meorum verborum voces *In vniuersum*,& *magnopere*, quibus innuitur Plinij codices non ita emendatos esse, vt non aliquę maculæ adhuc supersint, quas cautè, prudenterq; eluere nos oportere affirmo; quàm verò cautè, circumspectèq; agendum putem scire potes ex alteris illis meis verbis; *Quamquam volo diligenter considerent studiosi, num vulgata scriptura commodo aliquo sensu retineri queat, quod mihi rem totam accuratius perpendenti interdum videri solet*. & cætera: quid enim aliud me sensisse putas,cùm hæc scriberem, quàm quod tu prior nos docuisse videri cupis? an mentior? lege verba Plinij,quæ ibidem recito ad sententiam meam constituendam; quoniam verò aliqua ex parte morē gerere volui Marco Antonio Mureto, dixi minori prorsus mutatione legi posse *voluptatum*, quod genus loquendi Gręcorum, Latinorumq; scriptorum exemplis comprobaui, nec dissimulaui ea me de ipso Mureto cognouisse, quamquam eadem multò antè Lambinus me docuerat in Commentariis tùm Horatianis, tùm Lucretianis; Henricus quoque Stephanus de illius figuræ genere nonnihil attigerat Diatriba 5. de sua Horatij editione; quę igitur est mea securitas? quæ ἀλογιστία? quæ loci corruptela?

CAPVT IX.

VLLAMNE ego rem vmquam volui, quin tu in ea mihi aduersator fueris, Villiomare? at si rogem iam, quid est, quod peccem,nescias. Nunc hoc capite,quod in manibus habemus,neque satis Latinè loquor, neq; vera loquor: *sed de Latinitate* (inquis) *tu videris*: cur non tu potius, Tarpa, qui persępè aliàs barbarismos, solœcismos, metaplasmos, inelegantem, impropriamq; orationem meam notasti? nimis indulgens es,nescio vnde isthæc noua in te religio incesserit: ego igitur de Latinitate videro,tu de re ipsa iudicium feres. *Vtrumq; falsum* (inquis) *nam neque à cęde animalium abstinuerunt Lacones,neque Pythagoricum dogma est, μὴ ἀδολεσχεῖν, sed ἐχεμυθεῖν.* De Laconum instituto, quòd ad sacrificia pertinet, fideiussorem habeo Seruium,qui tibi Pseudoseruius euasit, postquam in animum induxisti hîc te mihi aduersarium prębere: potuisses eumdem *bestialissimum* nuncupare,quod

fecit

fecit Benuenutius quidam, non minus doctus, ac diligens grammaticus, quàm ipse videri velis. *Sed ponamus* (inquis) *verum esse, quod Pseudoseruius ille scribit*. Vide, vt vi veritatis adactus, paulatim animo labascas, & manus dare cogaris. *quid hoc ad prouerbiale silentium Amyclarum?* ego tibi dicam, frutex, si me patienter audias. Seruius *tacitas Amyclas* interpretatur *Pythagoreas*: cur verò ita? quia Amyclenses à cęde animalium abstinebant, sicut & Pythagorei, quorum etiam quinquennale silentium in causa fuit, vt proprio quodam epitheto *taciti* vocarentur: *Amyclas* igitur *tacitas* interpretatur *Pythagoreas* illam ob causam; *Pythagoreas* porrò ob factum illic à Seruio commemoratum; vnde etiam *tetricas* à Statio dictas opinor Syluar. lib. 5.

-& tetricis Alcman cantatus Amyclis.

hoc tu etiam intellexisse videris, & me itidem huius non ignarum fuisse probè nosti, sed, vt loquacitatem tuam aliquo prætextu velares, id me non animaduertisse credi vis, hoc pacto omnem gloriam ad te traducere sperans: age, triumpha, si ita vis; mihi isthæc curæ non sunt. Dixi aliàs exitum me reperire nō posse, quoties ista tua Logica premor. *Argumentum tuum* (inquis) *Lycurgus pręscripsit breuiloquentiam Laconibus; ergo Lacones fuerunt sectæ Pythagoricę*. hi tui sunt syllogismi, non mei, Chrysippe, arguti, concludentes, rotundi, quibus quomodo me explicem, non video: ego putabam satis me causam meam constituisse, cùm dixi, *de altero nos admonet Lycurgi dictum, qui interroganti cuipiam, quamobrem Lacedęmonij breuiloquium vsurparent, respondit*, ὅτι ἐγγὺς ἐστὶ τῆ σιγᾶν; nunc, vt video, nihil minus egi, quàm quod volebam, sed tamen peto à te Dialectice, vt illa mea verba diligentius tecum repute; fiet fortasse, vt abundè tibi responsum esse arbitreris, nam summa illius mei sermonis est βραχυλογίαν Laconum proximè accedere ad σιγᾶν Pythagoreorum: scis quid deinde sequatur, itaque concludes argumentationē ex tua Logica. περὶ τῆ ἐμφῦσαι quid dicam? vis quidem verbi ea est, quam ipse proponis, auctoris verò consilium, voluntasq; vtroque modo rectissimè repręsentatur, quid enim differt hic sermo, *cùm pudorem eis innasci vehementer cuperet:* ab hoc, *verecundiam adolescentium animis valdè inserere cupiens?* ita quidem Xenophontis verba reddidit Camerarius, illo altero pacto eadem conuertit Leuenclaius, vterque appositè ad auctoris mentem exprimendam, sed tu mihi detrahendi studiosus nullam non huiuscemodi occasionem captas, vt aliquid dixisse videaris: quis te ferat, tàm morosum interpretem?

CA-

CAPVT X.

ANTIPHON scripsit libros περὶ τῶν γεωργικῶν, in quibus rei rusticę præcepta continebantur, de eadem re agens Nicander Colophonius inscripsit Commentarios suos τὰ γεωργικὰ, idem fecerunt Aeschylides, & Androcion, necnon Dionysius Iticęus: Latinè Virgilius heroico carmine Georgica; soluta oratione M. Cato, & M. Varro; horum tamen libri inscribuntur De Re rustica, vt nullum discrimen intercedere intelligas inter τὰ γεωργικὰ καὶ περὶ τῶν γεωργικῶν: sic horum exemplo τὰ ἠθικὰ καὶ περὶ τῶν ἠθικῶν, nihil omninò inuicem discrepabunt: neque aliter Ciceronis libri *De Officiis* inscribuntur, & Ouidij *De Fastis*, eodem modo: non est igitur, cur maiores nostros insimules, quòd Ouidij libris titulum fecerint *De Ponto*, & *De Tristibus*: tu potius temeritatis incusandus es, qui tàm audacter de his rebus pronunciare soleas: nugaris sciens, & tantum tibi ab re tua otij superest, vt his ineptiis vacare possis? Quæ de pilulis, hastisq; pręþilatis deinceps memoras, non conuellunt meam sententiam, neque efficiunt, quominus Perionius, & Heruetus prauè, & obscurè Gręca verba reddiderint: itaq; sinam te arbitratu tuo per istum campum excurrere, dumtamen noris milites non hastis, & gladiis præpilatis exercere se consueuisse, sed rudibus potius. Liuius de militibus Scipionis. *Tertio die rudibus inter se in modum iustæ pugnę concurrerunt.* hoc est ξυλίναις μαχαίραις, vt eas vocat Polybius. Dion in Cōmodo. ἠσκεῖτο δὲ καὶ ἐχρῆτο τῇ ὁπλίσει τῇ τοῦ σεκούτωρος καλουμένου: τὴν μὲν ἀσπίδα ἐν τῇ δεξιᾷ, τὸ δὲ ξίφος τὸ ξύλινον ἐν τῇ ἀριστερᾷ ἔχων. quò referendum suspicor Ouidianum illud,

Ponite iam gladios bebetes, pugnetur acutis.

qui huiuscemodi lusoriis armis decertabant, non videntur opus habuisse illis tuis sphęrulis, quibus hastas, aut gladios præpilarent, & sanè Leo Imperator hastas dūtaxat sine cuspide, vel sagittas similes, pro gladiis virgas, vel ferulas, vel calamos pro hastis commemorat. illud præterea te scire velim, non modò Calepinos meos perperam nobis exposuisse, quid essent pręþilatę sudes, sed tuos etiā Thesauros, ipsumq; adeò Turnebum eamdem falsam interpretationem magno errore deinde sequutos fuisse, vt intelligas te non habere, quod magnoperè exprobres Italo homini iis pręsertim temporibus nato, quibus humaniorum literarum cognitio perexigua haberetur. Cęterùm cùm dicis, *Quemadmodum si quis pręþilatis hastis deludens aliquem interfecerit pila ex cuspide hastę delapsa.* ostendis te ignorare quid valeat in rectè loquentium ore verbum *Deludo*: non sum verbosus, reiicio te ad tuos Gallos,

Hadrianum

Hadrianum Turnebum ſcilicet,& Iuſtum Lipſium, hic Saturnal.lib. 1. cap. 19.& lib. 2.cap.itidem 19.ille Aduerſar.lib.22.cap.2.docebunt te, quid ſit *eludere, deludere, & diludere*; cùm hos legeris, diſputabimus deinde an ſuo loco vſurpaueris verbum illud. Poſtrema tui ſermonis pars, quamquam obſcuriſsima eſt, prodit tamen inſcitiam tuam; ea, quoniam Logicam iſtam tuam redolet, nunc à me intacta prætermittitur, & ſanè cum vitioſè ſumat, non potuit non vitioſiſsimè concludere: ſophiſma notius eſt, quam vt pluribus confutari mereatur.

CAPVT XIII.

PETRVS Victorius non ægrè ferret ad ſuam obſeruationem Iuuenalis verſus me addidiſſe, fuit enim ſenex ille perquàm ingenui animi,ac minimè inuidentis: nunc tu,veluti bonus cuſtos, καὶ φαλανθος de eius re ita ſollicitus eſſe videri vis,vt Atiniã quoq; legem, ſi Dis placet,mihi mineris,cuius tamen partem vnam te ignoraſſe perſuaſum habeo; nam cùm Victorius libros meos legerit,& quod ſuum eſt,non vindicauerit, rei furtiuæ, vt tu vis, præſcriptio non prohibetur, ſiquidem *quod dicit Lex Atinia,vt res furtiua nõ vſucapiatur,niſi in poteſtatem eius, cui ſubrepta eſt, reuertatur, ſic acceptum eſt, vt in domini poteſtatem debeat reuerti; porrò in poteſtatem domini rem furtiuam veniſſe videri,ſi eius vindicandæ poteſtatem habuerit, Sabinus & Caſſius aiunt.*

CAPVT XIIII.

NON putaui mihi neceſſe eſſe quærere, cur *cùm* ἀποκοπῆναι *πελέκει dixerit Euphorion, poſtea idem dicat* ἀποτυμπανισθῆναι, nam Varinus in ſuo Lexico nos docuerat ἀποτυμπανῆσθαι valere τὴν κεφαλὴν ἀποκοπῆναι, quocirca verti *ad ſupplicium trahi*, vt ſic vulgarem notionem eius vocabuli vitarem: alteram quæſtionem ſoluo, vt dicam, eam ſummam expreſsiſſe Euphorionem tamquam minimã, hoc eſt, quia non liceret fortaſſe minori ſe addicere, quamquam quæ mea culpa eſt, ſi hanc rem celauit nos auctor ille? at rationem quærere debui:non quæſiuit Scaliger in ſuis ad Feſtum Caſtigationibus voce *Portiſculus*, cur ciues Romani ob capital admiſſum prius verberibus cędi, deinde numo ſeſtertio, ſi Romæ eſſent, trans Tyberim vendi conſueuerint; & tu iubes me fidiculas Euphorioni adhibere,vt ignorantiæ tuæ morem gerat? cauſam nihilominus accipe, ac ſimul intellige eam ſummam exprimere neceſſe fuiſſe, vt diuerſus Romanorum mos à Gallorum more patefieret, nam Galli, vt eſt apud Athenęum, paululo argento, vel vaſculis aliquot fictilibus conducti, quę eorum propinquis

darentur,

darentur, supini in scuto, immobilesq; iacebant, seq; ibi iugulo inciso interfici patiebantur, quod, vt res tantummodo intelligatur, dictum volo, non in gentis nobilissimę, ac prudentissimę odium, aut contemptum: huc Horatium respexisse non insulsè credi potest, cùm ait,

Te, non pauentis funera Galliæ,

Duræq; tellus audit Iberiæ.

Aristoteles porrò Ethicorum lib. 5. ius ciuile diuidens, aliud φυσικὸν esse dicit, aliud νομικόν: ac φυσικὸν quidem illud esse definit, quod πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν, καὶ οὐ τῷ δοκεῖν ἢ μή. νομικὸν δὲ, ὃ ἐξ ἀρχῆς μὲν οὐδὲν διαφέρει οὕτως ἢ ἄλλως, οἷον τὸ μνᾶς λυτροῦσθαι, ἢ τὸ αἶγα Διὶ θύειν, ἀλλὰ μὴ πρόβατα. ἔτι ὅσα ἐπὶ τῶν καθ' ἕκαστα νομοθετοῦσιν. οἷον, τὸ θύειν Βρασίδᾳ, καὶ τὰ ψηφισματώδη. nisi crassa pituita oppletum cerebrum habeas, nullo negocio hinc intelliges, quomodo istius generis quæstiones dissolui posʃint.

CAPVT XV.

SI conuitiis pugnandũ est, non dubiũ, quin superior discedas, noui enim quàm sis exercitatus in hac palæstra; si rationibus cernere oporteat, πέπρακται Villiomare, adeò totus, quãtus quantus, ab imis vnguibus ad verticẽ summũ ex inscitia concretus es: nõ mentior; audi; atque illud interim omitto, quod de mea modestia in Horatij loco explicando dicere possem; cui tu malam omninò gratiam refers, dum perinde rem exagitas, atque ipse audacter, ac confidenter affirmauerim illo prorsus pacto Horatij locum sumi debere, cùm tamen hæsitabundus, cunctanterque, & coniecturæ meæ valdè diffidens interpretationẽ illam adduxerim; hoc (inquam) omittam, & ad rem ipsam aggrediar, vt ferreo isto ore, si fieri potest, ruborem exprimam. Qui *victoriam in pedibus* positam esse dicit, totum membrum intelligit, qui *sub pedibus* partem illam dumtaxat significat, quæ humum tangit, *solum* videlicet, seu *pedis plantam:* hanc tunc Horatius designauit illo sermone, & κατὰ συνεκδοχὴν totum pedem intellexit: ergo victoriam sub planta sitam habere eadẽ figura dicitur, qua victoriam in pedibus habere, nec quid discriminis inter vtramque phrasim, quà pertinet ad sententiam, intercedat, satis explicabis tu isto ingenij cacumine, ista eruditione præditus. hoc posito Nearchus victoriam collocauit in pedum celeritate, hoc est illi quodammodo victoriam attribuit, qui alterum in cursu præuerteret; subest autem fallacia in tuis verbis. *Quid igitur dices? Nearchum posuisse victoriam Pyrrhi, & puellę in pedibus suis?* non (inquam) in *pedibus suis,* sed *eorum,* Pyrrhi scilicet, & puellæ, tu de Nearcho intellexisti, quod ego numquam volui: sunt enim hæc mea verba. *ac interim*

rim dum alter sagittas expedit, altera dentes acuit, seq; ad pugnam vterq; componit, fertur Nearchus prælium fuga arrepta diremisse, atque hoc pacto victoriam aliquo modo illi adiudicasse, qui prior ipsum assequeretur. & reliqua. *Arbiter* autem *pugnæ* dicitur, tùm is, cuius arbitrio palma decerni debet, sicut Venus apud Sophoclem Trachiniis, -μόνα Δ' εὔλεκτρος ἐν μέσῳ Κύπρις Ραβδονόμει ξυνοῦσα. vnde *arbitrium* pro victoriæ præmio quandoq; sumitur: tùm etiam is, de quo pugna institutu est: in Nearchum quidem vtrumque competit; sed videris tu, quo modo satis confirmaueris Virgilij, atque Ouidij testimoniis, quod probare instituetas, nimirum pugnę arbitrum eum quoque dici, de quo pugna instituta sit, nam certè apud illos poëtas nusquam comparet iste tuus arbiter, estq; hoc longè magis absurdum, quàm id, quod ex mea interpretatione consequuturum ais, *arbitrum* videlicet, & *testem pugnæ* esse eum, qui pugnantibus non adsit, & *recreare leni vento sparsum humerum odoratis capillis*, hoc est cessare, & quieti indulgere eum, qui fugiat: nam rectè *arbiter* nuncupatur is, in cuius arbitrio est, vt huic, aut illi victoriam adiudicet, & is capillum recreat leni vento, cuius inter fugiendum vndantes capillos lenis aura ventilat: tantum enim abest, vt stantem Nearchum significet Horatius illo sermone, vt potius currentem, ac fugientem describat: sic etiam Ouidius Metam. 1.

> *Plura loquuturum rapido Peneïa cursu*
> *Fugit; cumq; ipso verba imperfecta reliquit.*
> *Tunc quoq; visa decens: nudabant corpora venti;*
> *Obuiaq; aduersas vibrabant flamina vestes;*
> *Et leuis impulsos retrò dabat aura capillos.* rursus lib. 10.
> *-cursus facit ipse decorem;*
> *Aura refert ablata citis talaria plantis,*
> *Tergaq; iactantur crines per eburnea.*

Gnathenę porrò dictum Flacci sententiæ aliquo pacto finitimum esse etiamnum affirmo, pertendoque hac mente. Quemadmodum, cùm Gnathenæ amatores viderentur victoriam collocasse in corporis viribus, inq; eo, vt alter alterum superaret, ipsa affirmauit in pecunia victoriam sitam esse, itaq; frustrà eos laborare in se cedendo, ita Pyrrhi, ac puellæ victoriam de Nearcho non in pugna sagittis, dentibusq; conficienda positam esse, sed in pernicitate inquit Horatius, quo sensu hoc meretricis illius dictum ad poëtæ mentem, meamq; mitificè conducit, vnde scire potes, quàm fuerim illud assequutus: potuissem etiam fabellam recitare, quam de asino cõmemorat Parœmiographus ad Prouerbium ἀπ' ὄνου καταπεσών, sed nolui formosum adolescentem asino parem facere. *Nudum pedem* Pyrrhi, & puellæ intelligo, non Nearchi, sed & huius quoque intelligi nihil prohibet, qui iccirco *nudus* ab

Horatio nuncupatur, quia digiti, ac tibiæ intectæ erant. Cornelius Tacitus Annalium lib. 2. *multa in vulgus grata vsurpauit, sine milite incedere, pedibus intectis & pari cum Græcis amictu P. Scipionis æmulatione.* Sidonius Apollinaris Epistola ad Lupum libro octauo.

Soccos ferre caue, nec (vt solebat)
Laxo pes natet altus in cothurno.
Sed tales crepidas ligare cura,
Quales Harpalyce, vel illa vinxit,
Quæ victos gladio procos cecidit.
Perges sic melius volante saltu,
Si vestigia fasceata, nudi
Per summum digiti regant, citatis
Firmi ingressibus, atq; vinculorum
Concurrentibus ansulis reflexa
Ad crus, per cameram cathena surgat. Martialis.
Fœminea vestes, nec e sine tegmine plantæ.

hinc fenestrati, & perforati calcei, quos λεπτοσχίδας Græcos nominare scribit Pollux, etsi consueuerunt poëtæ non tàm quod ipsi rei conducat, interdum spectare, quàm quod vsus ferat: itaq; de delicatulis illis perinde loquutus fuit Horatius, ac de exercitatissimis cursoribus, ad quam mentem dixisse Virgilium crediderim,

Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.

vel totum respexit Horatius, cùm de parte dumtaxat loqueretur κατὰ συνεκδοχὴν, quomodo dixit Catullus,

Cæsio veniam obuiam Leoni. Cuiusmodi sint epitheta, quæ nihil innouant in sententia non tuum est exactè intelligere, nam quantum distet τὸ *Nudus* ad pedem relatum ab illo altero χρυσῇ ἀφροδίτῃ tàm herclè vidisti, quàm solem Cimmerij, aut, qui in illuni nocte ambulant, rectum iter dispiciunt: & tamen hæc inter prima rudimenta poëtices à grammaticis recensentur. Ἀνυποδησία exponitur in Lexico *pedum nuditas*, ideo illo pacto necessariò vertendum fuit; quid, amabo te, aliud esse censes *Immunitas calceorum*? Ammianus dixit *calceorum expertes*, quod idem pollet. Hem, penè exciderat. περὶ ἡμεροδρόμων istos vestros Lexographos auctores habeo, horum ego testimonio fidem meam exoluo, ac tibi indico, nequaquam me tibi acceptum referre, quòd docueris, qui nam dicerentur ἡμεροδρόμοι, nam id multò antea de Turnebo didiceram, qui & Liuij locum à te citatum testem producit Aduersar. lib. 27. cap. 7. huius tu scripta suffuraris tacito auctore; sed addo in studiosorum gratiam Apulei testimonium hoc è libro de Mundo. *Ex eo numero erant & cursores diurni, atque nocturni exploratores, & nuncij specularum incensores assidui:* agit autem de Persis, Persa-

rumq; regum magnificentia, & eorum cura, quam in regno rectè admi nistrando adhibebant, porrò de ἡμεροδρόμοις Atheniensium, atqu; aliorum veterum ipse loquor, non de Turcarum, aut Pannonum, quos clauis suppactum solum gestare audio. de Vespasiano Augusto sic scribit Suetonius cap. 8. *Classiarios verò, qui ab Ostia, & Puteolis Romã pedibus per vices commeant, petentes constitui aliquid sibi calcearij nomine, quasi parum esset responso abegisse, iussit post hæc excalceatos cursitare, & ex eo ita cursitant.* Iosephus tamen Romani cuiusdam militis meminit nomine Iuliani, qui gladio, & scuto dumtaxat armatus instructum Iudæorum exercitum in fugam verterit, nec multùm abfuisse narrat, quin is incolumis ad suos sese reciperet, nisi inter currendum super lapides lapsus fuisset ob clauos, quibus solum suppactum habebat: en tibi exemplum à Romanis, non à Turcis petitum, nam mihi Italo cum Turcis neque conuenit, neque quicquam commune esse volo, neque eorumdem ego ritus, moresq; nosse laboro.

CAPVT XVII.

TV, qui verbum compositum idem omninò, quod simplex valere tibi persuasisti, nunc tuæ sententiæ oblitus non agnoscis nomen τοῦ καλεῖν in verbo συνεκαλεῖν, & tamen verum est dici συνέχειν pro simplici ἔχειν, atque ista Græcę linguę Dictionaria, quæ veteres homines concinnarunt, docent præpositionẽ συν aliquando non plus significare, quàm simplex, ornatusq; causa poni. sic etiam ἐντραγεῖν, ἐμπιεῖν, ἐμφαγεῖν dici notum est pro τραγεῖν, πιεῖν, φαγεῖν. Et quoque supernacaneè quandoq; addi illud Thucydidis monstrare potest. τοὺς τε ἐπιδημοῦντας ἐκπέμπειν. quem ornatum Latini quoque minimè interdum aspernati fuisse videntur, velut in *conterere, confugere, conturbare, conuenire, consomniare* videre est: Virgilius quidem dixit *Confieri possit*, pro simplici *fieri*, veluti Seruius interpretatur ad illud alterum, *Fata renarrabat diuum:* ait enim, *re vacat, vt Confieri possit.* Alterum, quod mihi obiicis, facilè itidẽ diluam, nam tu vis Græcè dici, ὁ Πίνδαρος ἐκάλει τὴν Κόρινναν κορώνην, pro quo credidisti me apud Aelianum reposuisse ὁ Πίνδαρος ἐκάλει (sit nunc ita, vt iubes) τὴν Κόρινναν τὴν κορώνην, qua in re stuporem tuum prodis, vel calumniam potius manifestas: mea verba. *Ego puto pro Κόρινναν legendum esse κορώνην, vel saltem hanc vocem post illam in verborum contextu collocari debere.* ego non putaui quemquam tàm hebetem reperiri, qui si κορώνην ἀντὶ τοῦ Κόρινναν meo admonitu illic legere vellet, non intelligeret articulum deleri oportere, neque te tàm matulam esse noram, vt isthac admonitione opus haberes: quòd si vocem κορώνην post Κό-

ςινναν reponere maluisses, statim prodiisset ὁ Πίνδαρος συνεκάλει τὴν Κόριννα ν κορώνην, hoc est, vt tuo exemplo vtar, ὁ Ἀθηναῖοι τὸν Ξενοφῶντα ἐκάλουν τὴν μοῦσαν Ἀττικήν. Sed tu alia via ingrederis ad sanationem loci Aeliani, putasq; legi debere ὁ Πίνδαρος ὗν τὴν Κόριννα ν, vt sit allusum ad prouerbium ὗς τὰν Ἀθηνᾶν. quod tamen apud me nonnihil dubitationis habet, propterea quòd sciam huic adagio tunc demum locum esse, quoties ineruditus quispiam eum docere conatur, qui lōgè doctrina præstet, veluti cùm dixit Demades, Δημοσθένης ἐμὲ βούλεται διορθοῦν, ἡ ὗς τὴν Ἀθηνᾶν: quem sensum non prorsus recipit mens, consiliumq; Aelianieo in loco: non tamen vehementer pugno, præsertim cùm dicat Theocritus in Odeporico,

Ὗς ποτ' Ἀθαναίαν ἔριν ἤρισε.

sed siue hoc pacto, siue quomodo ego admonui Aeliani cōtextus emendetur, certum est eum mirificè illustrari Machonis versibus, quos refert Athenæus lib. 13. eos mihi visum est hic subindicare, vt aliquam saltem gratiam tibi referrem pro ista tua suilla castigatione, eorum initium hoc est. Χαλλις ἐς δὲ τὴς ὗος καλυμένης: reliquos lector inueniet apud Græcum anctorem libro superius indicato, verumtamen castigatio mea optimè confirmatur Pindari verbis in Nemeis, vbi se vocat aquilam, Bacchylidem æmulum graculum; ait autem

Αἰετὸς ὠκὺς ἐν πετανοῖς
Ὃς ἔλαβεν αἶψα τηλόθεν μεταμαιόμενος
Δαφοινὸν ἄγραν ποσί,
Κραγέται δὲ κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται.

& in Olympiis. σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ. μαθόντες δέ, λάβροι
Παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὥς, ἄκραντα γαρύετον
Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.

CAPVT XVIII.

QVAM inuitus fatearis diuinum illum tuum Scaligerum interdum cæcutisse, si non alius, certè hic locus manifestò declarat: tergiuersaris etenim, ac vix adduci potes, vt veritati manus dedas: vis liberè dicam? Scaligeri dedecus cum tuo dedecore coniunctum esse crediderim, & sunt, qui affirment, ipsum istā tuam personam pro tempore induisse, certè videri potestis vno in ludulo erudituli ambo: vt vt est, palàm negare non audes separū genus reperiri, quod capitatum dicatur; sed neges quantum libet, Plinius certè id liquidò affirmat. *Apud nos duo prima genera, vnum condimentariæ, quam illi gethyon, nostri pallacanam vocant; alterum capitatæ:* est igitur separum genus, quod capitatum vocetur apud Romanos, nam de Græcis ego quidem aliter

sentio,

ſentio, ac quamquam Theophraſtus dixerit in Creta ceparum genus quoddam reperiri carens capite,& gethium eſſe quid ἀκέφαλον, tamen non dixit alias vocari capitatas, at Romani ſic vocabant, vt docet Plinius; ac fortaſſe capitata eſt, quam Columella *capitulam* vocat: reperiuntur & cepę longę ad capitatarum, vt puto, ſeu capitularum differentiam; earum meminit Palladius in Martio. ſed & omne ceparum genus perpetuo quodam epitheto capitatum dici poteſt ab etymo, eſt enim cepa à capite,cui propterea nome eam debere dixit Virgilius.

CAPVT XIX.

NON ſum verboſus; *vbique ire* Latiniſsimum eſt: produc exemplum? producam,atque huiuſmodi ſanè,vt eo audito niſi aſinum te eſſe fateri velis, Burdonis ſaltem nomen minimè ſis recuſaturus: mitto igitur noui inſtruméti interpretem,qui τὸ ἐκεῖνως reddiderit *inde. Quia inde erat tranſiturus*. pro *illâc*: & πῦ *vbi. Spiritus vbi vult, ſpirat*. &,*Amen,amen dico tibi, cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas: cùm autem ſenueris,extendes manus,& altius te cinget, & ducet, quò non vis*. hunc,inquam,in preſentia prætermittam, nam penes te non ita magnam ipſius auctoritatem fore certò ſcio; illud ponam, quod Nazarius ait in Panegyrico Conſtantino dicto. *Tu exinde domi,militiæq; iuxtà bonus,nuſquam gradum extuliſti,quin vbique te gloria quaſi vmbra comitata ſit*. quòd ſi non omninò ſimile eſſe iudicabis, addam & illud ex Panegyrico Flauienſium. *Sic ingenui, largiq; fontes, vt vbiq; poſsint ire, feſtinant:* huic finitimum eſt, quod legitur apud Gellium in epigrammate ex Platone conuerſo, *Anima tunc ægra, & ſaucia Cucurrit ad labias mihi, Oriſq; rictu peruium, Et labra pueir mollia Rimata itineri tranſitus Vbi tranſiret,nititur*. Macrobius tamen aliter citat; nimirum ſic, *Vt tranſiliret, nititur*. neſcio an illud etiam addere debeam(nam pertinet ad differentiam conſtructionis verborum motum ad locum ſignificantium)

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus

Adiuuat; quod ex Marone obſeruat Nonius; contrà Propertius

Non flebo in cineres arcem ſediſſe paternos

Cadmi, pro in *cineribus*: ſunt etiam,qui illud eiuſdem poëtę,Maronis inquam, *-monſtrate mearum*

Vidiſtis ſi quam hîc errantem fortè ſororum.

Gręcorum exemplo dictum eſſe velint, qui præpoſitionem ἐν in motu exprimendo vſurpare conſueuerint, citantq; Moſchopuli verba hæc, ἐνίοτε καὶ κίνησιν ἐν τινι δηλοῖ· οὐ μὲν τοί τὴν ἀπό τινος ἔς τι. vides *vbique ire*, ſi non grammaticè, Latinè ſaltem dici ſolere,ſimulq; intel-

ligis

ligis valdè omninò periculosum esse, quippiam Latinè non dici pro certo affirmare; ea res neq; Attico, nec ipsi quidem M. Tullio benè cessit. Pulchrè igitur Paterculum emendasse videri debeo. tu integram dictionem foras abiecisti, atque historiæ tenebras offudisti; perspicuè etenim Iubæ regis meminerat Velleius eo in loco: verumtamen nihil nunc mutandum censeo: ***adhuc vbiq; Iubę nomine***, inquit ille, hoc est, interierat quidem Pompeius, ac nusquam corpore comparebat, Iubæ tantùm nomine, qui ipsius auspiciis bellum continuabat, vbique erat, vbiq; erat sub Iubę nomine, quoniam scilicet is partes ipsius se tueri profitebatur.

CAPVT XXIIII.

DIXI ego ferri omninò posse vulgatam scripturam in Ciceronis verbis: deinde subdidi minori prorsus mutatione vitium corrigi, si legatur ***excitetur***, aut etiam ***inceptatur***: eiusdem Ciceronis auctoritatem aduocaui ad ostendendam vim verbi ***inceptare***, quod posteriore loco adscripseram, hoc meum consilium cùm tu minus perceperis, suspicatus es me illud exemplum adduxisse ad confirmandam lectionem ***excitatur***. corrigis deinde ***initatur***, quasi verò de argentaria ratione loquatur Cicero, non de modo, consuetudineq; viuendi; & alioquin pulchrum sanè verbum in linguam Latinam inuexisti, quod cum τῷ ***delibitare***, ***cogitare***, pro ***cogere***, & si quæ sunt huiusmodi, centuriare poteris; ò egregiam emẽdationem, & auro contrà non caram? ego non pluris te facio, quàm ancillam meam, quæ latrinam lauat. sed & quod de ***excitatur*** prius dixi, non leui teste confirmare possum, Marius enim Victorinus haud incelebris grammaticus loquitur ad hanc mentem. ***Quorum sicut & aliorum complurium auctor, & parens fertur Archilocus, singularis artificij in excogitandis, & formandis nouis metris, qui primus Epodos excitauit***. Erasmus in adagio ***Ea tela texitur*** legit apud Ciceronem ***incitatur***, quod, vt dixi, non malo sensu retineri potest.

ROBERTI

ROBERTI TITII BVRGENSIS

ASSERTIONIS LIBER SEXTVS.

CAPVT I.

BENE fuisse tàm bardum, vt credideris, non percepisse me Plinij mentem, cùm ait? *Trahitur etiam in picturas opere historiali, venatus, classesue, & imagines rerum tenui folio, breuique, & virenti superuestiens:* de qua tamen re, si tantum mihi iudicij non tribuis, vt meopte ingenio eam assequi me potuisse censeas, Gulielmus Phylander suis ad Vitruuium adnotationibus admonere me valuisset, qui Plinij locum illũ citat ad hæc Vitruuij verba ex c. 5. lib. 7. *Pinguntur prorsus promontoria, litora, flumina, fontes, euripi, fana, luci, montes, pecora, pastores, nonnullis locis item signorum megalographiam habentem Deorum simulachra, seu fabularum dispositas explicationes, non minus Troianas pugnas, seu Vlyssis errationes per topia, cęteraque, quę sunt eorum similibus rationibus ab rerum natura procreata.* transtuli autem hûc vniuersum locum Vitruuij, quoniam Plinij menti cognoscendæ plurimùm conducere visus est, qua itidem de causa non me pigebit adscribere Plinij iunioris verba ex Epistola ad Apollinarem lib. quinto. *Multa in hac membra, atrium ex more veterum: antè porticum Xystus concisus in plurimas species, distinctusq; buxo: demissus inde, pronusq; puluinus, cui bestiarum effigies inuicem aduersas buxus inscripsit.* Igitur in libris Locorum controuersorum recitaui meram coniecturam natam ex sermone, quem olim habui cum Petro Gherardio iuuene eruditissimo, cùm is multis verbis contenderet, ac nullo non pignore deposito affirmaret locum illum non esse integrum; ego contrà vel iureiurando interposito veterem, vulgatamq; illorum verborum scripturam constantissimè tueri conarer; sed non libuit rem totam, vt gesta est, illic sigillatim recensere, itaque breuiter ostendi, quid probabiliter dici posset; tu nunc aliquantulum occasionis adeptus insolenter admodum debaccharis, & perinde, ac βασιλικὸν aliquod facinus perpetraueris, magis tibi places, quàm si vrbem expugnasses; nec intelligis θᾶνα περὶ φακῆς te loqui: pari quoque insania corriperis, cùm tibi persuades, me censuisse Plinium de pictura intellexisse, non de opere topiario, quod tamen

men vt verum esset, non deberet iccircò tàm absurdum tibi videri, vt hac de causa omnibus modis me deridendum tibi proponeres, nam præterquamquòd probabili sanè ratione nititur, locupletes auctores habet Ioannem Britanicum, & Achillem Statium viros vndequaque eruditissimos; sed profectò mirificus es, cum *cassis*, & *pedicæ* scrupulosam differentiam consectaris: verùm, vt scias, Tarpa, non cuncta aurificis statera, sed populari quandoq; trutina examinare oportet; quid autem opus fuit hac subtilitate ad Plinij locum intelligendum? satis ego habui ostendere casses ita constitui debere à venatoribus, vt feras lateant, valet autem vox *cassis* eo in loco non retia modò, sed laqueos etiam, atque in vniuersùm omne istiusmodi venationis instrumentum in feris capiendis accomodatum; Tibullus lib. 14.

Ipsa ego per montes retia torta feram. &

Arguar ante ipsas concubuisse plagas.

Tunc veniat licet ad casses, illæsus abibit. quin etiam illud amplius affirmare possũ illic *laqueos* consultò me fuisse interpretatum, vt ostenderem aliquo pacto vtrũque instrumẽti genus à Plinio significari, propterea quòd sẽper ferè in huiusmodi venationis genere casses, & pedicę coniunctim soleãt adhiberi; ac, quoniã percõmoda sese mihi præbet occasio scriptiones meas Petri Angelij nominis fulgore illustrandi, eam mihi è manibus elabi non patiar, sed animo meo morem gerã cupienti studiorum meorum duci pristinam obseruantiam, & amorem testari; atque is quidem procul dubio est Petrus Angelius, quem cùm Scaligeris omnibus, quot aut fuerunt, aut sunt, aut aliis erunt in annis, iure possit Italia nostra committere, inquit autem ille Cynegetic. lib. 1.

Queis (fenestris) *nodo implicitis auersi à limine portæ*

Adduntur teretes laquei, finemq; sub ipsum

Retia, quæ sese sinuosa in brachia flectant

Vtrinque, & latè spatium amplectantur inane.

rursus libro 3. de tigri loquens,

Qui cadit in laqueos, plerumq; & cassibus hæret.

Dum sequitur raptorem. De prouerbio, *Scis simulare cupressum*, quod postremò addis nullo negocio me expediam, si Acronis, & Porphyrionis veterum Horatij interpretum verba hìc adscribam, quibus te magis credere par fuisset, quàm Desiderio Erasmo, Dionysio Lambino, & Hadriano Turnebo, ex cuius potissimum Aduersariis eius nomine interim dissimulato expositiunculam istam manifesto plagio surripuisti, quibus omnibus Acronis mutilus contextus imposuisse videtur, ibi, *Irrisio pictoris cuiusdam, qui nihil aliud, quàm cupressum nouerat depingere. Prouerbium est in malum pictorem, qui nesciebat aliud pingere, quàm cupressum: ab hoc naufragus quidam petiuit, vt vultum suum exprimeret,*

meret, ille interrogauit, num ex cupresso vellet adiici aliquid. Euigila parumper, Villiomare, atque isto tuo exquisito iudicio considera illud *adiici*; vnde intelliges in verbis Acronis bis desiderari aduerbium *benè*, semel ibi, *qui nesciebat aliud pingere, quàm cupressum*, iterum ibi, *qui nesciebat aliud pingere*, vt sit vtrobique *benè pingere;* nam Porphyrion ad eumdem locum sic inquit. *Hoc prouerbium est in malum pictorem, qui nesciebat aliud benè pingere, quàm cupressum; ab hoc naufragus quidam petiit, vt fatum suum exprimeret, ille interrogauit, num ex cupresso vellet aliquit adiici?* his adiunge minorum gentium interpretes Christophorum Landinum, Iodocum Badium, Ioannem Britanicum, Thomam Phreigium, alios item non paucos, qui vno ore cuncti mecum faciunt.

CAPVT II.

DIXERAT Victorius Alexandrum proprio, peculiariq; vocabulo φιλόμυθον fuisse nuncupatum: ego huius rei auctorem quæsiui; nec tamen propterea ignoraui Homeri poëmatum ipsum perstudiosum fuisse, quomodo enim oblitus essem rei notissimę; & Plutarchum, Arrianum, Q. Curtium non legissem, quos in illis meis libris aliquoties testes produco? tàm igitur hoc apud vllum scriptorem adhuc non reperi, quàm illud *refractatio*, quod in epigrapha tuæ diatribæ vsurpasti: neq; item me legere memini Alexandrum Homeri poësim pro puluino vsum fuisse, vt tu scribis, sed eam sub puluino ipsum collocare solitum multos tradidisse scio.

CAPVT III.

FATEOR equidem nonnulla Turnebum adnotasse de *mari magno*, quæ ipse huic capiti consignaui; sed an cuncta ex alle ab eo sumpserim studioso lectori iudicandum relinquo, cui, vt quærendi laborem minuam, locos indicare placet, quibus vir ille aliquid attigerit de hac re: sunt autem hi. Aduersarior. lib. 3. cap. 15. lib. 19. cap. 20. lib. 20. cap. 26. denique lib. 25. cap. 3. sed & Terentij excusatione verissimè vti possum ex Prologo Eunuchi.

> Si id est peccatum, peccatum imprudentia est
> Auctoris, non qui furtum facere studuerit.

CAPVT VI.

NEQVAQVAM animaduertisse videris, ò præligatum pectus, me illic de scripturæ sinceritate apud Vulpianum disputare in vocibus *Barbatij Philippi*, non de historia, quod fecit Turnebus, atqui mea verba hoc ipsum apertè demonstrant, quemadodum illud alterum sibi voluisse Turnebum ipsius sermo perspicuè docet; quomodo

igitur non aliquid noui affero? & sanè prætereundum non fuit *Barbium Philippicum* legi apud Suidam, hæc enim scriptura verisimiliori prorsus coniectura nititur, nam Philippicus illius viri nomen fuit, priusquã Romam venisset, cùm deinde Romæ esset, atque alicuius ciuis ope, & auxilio ius ciuitatis impetrasset, ad honoresq; emersisset; illius nomen assumpsisse credi potest, quomodo Demetrius Dolabellæ seruus postquam à Cæsare ciuitate donatus est, P. Cornelius Demetrius vocari cepit, sicut est apud Ciceronem ad Acilium epistolarum lib. 13. Romę autem *Barbiorum* gentem fuisse docet Tacitus lib. 17. vbi Barbij cuiusdam Proculi meminit: de Barbaria gente nihil adhuc compertum est: ergo qui *Barbium Philippicum* legendum admonet, aliquid habet, quo sententiam suam verisimilem reddat, qui *Barbarium* tuetur, nihil quicquam certi afferre potest. κολακικὸς in Dictionariis exponitur *blandus: κολακεύω obsequiosè colo*, & ex Xenophôte citatur illud *κολακεύει αὐτὸν ei obsequitur, blandimentis eum sibi conciliat:* vnde efficitur, vt θεραπευτικὸν ἦν τὸν τρόπον, καὶ κολακικὸς non incommodè illo pacto conuertatur. ἀρχὴ propriè est *imperium, principatus*, cur non igitur ita Latinè reddatur? *quia* (inquis) *de Pretura intelligebat ille historicus, de qua necessariò ante verba fecerat:* sit ita sanè; ergo vox illa generalis ad Præturam significandam transfertur; cur non igitur in propria notione rectè vsurpatur? sed cùm ais tu; *de qua necessariò antè verba fecerat*, non exprimis mentis tuæ sensum, quem certum est dicere voluisse de Pretura necessariò intellexisse illum historicum, de qua ante verba fecerat; neque enim Suida necessariò de Pretura verba fecerat, sed quia de Pretura verba fecerat, iccircò de illa necessariò intelligit, cum ait, καὶ ταύτην τὴν ἀρχὴν ἦρχε τὴν ἐκείνου χάριν. Quid deinde tibi velis postremis verbis, haud equidem intellligo, adeò obscurè loqueris: hoc certò scio, Græci auctoris consilium eo pacto optimè representari, &, si aliquantum verba tua assequor, non longè abis à sensu interpretationis, quam ego attuli, vel is potius attulit, qui ex Hieronymi Vuolphij Latina Suidę versione locum illum Græcè adscriptum Latinis auribus ignotum esse noluit.

CAPVT VII.

ENECAS me ista tua subtili, mirificaq; Dialectica: equidem nusquam magis hęreo, numquam de victoria aduersus te magis despero, quàm cùm mihi congrediendum est cum tua Logica: at qualis ea hîc est? *Quod congelascit, id stat, & consistit, & concretum est, non contra, quippe cùm species inferat genus suum, non autem genus speciem.* considera, quæso, paru mper, simia Dialecticorum, quàm perperam,

nec in tempore isto tuo tàm insigni bono vtaris: puer Tauri philosophi verbum vsurpauerat κρυσταλλῶσθαι: hoc de oleo propriè non dicitur, numquam enim oleum ita condensatur, vt glaciem referat; formauit igitur quæstionem Taurus non super olei κρυσταλλώσεως, sed super eiusdem παχυσμῷ; quæsiuitq; cur oleum sæpè, & facile stet, vina rarenter congelascant: neque enim est idem omninò accidens vtriusque liquoris, nam oleum crassescit, non induratur, vinum contrà gelascit quidem, ac penitus induratur, nō autem spissatur tantùm, veluti etiam ex Macrobio Saturn. 7. sciri potest, itaq; vel ἀναλογίᾳ quadam conueniunt, vel saltem genere, vterq; enim stat, concrescit, congelascit denique, hic minus, ille magis, quę qualitas non constituit differentiam quoad speciem, vt probè nosti, ergo non quęritur frustra de vini concretione, cùm oleum, quod & ipsum calorificum est, frigore constringatur, neque necesse est ipsum eodem prorsus pacto cogi, constringiq; quo pacto vinum interdum congelascit, nam (vt dixi) Tauri quæstio non exposcit necessariò eamdem qualitatem in oleo, quæ vino interdum competit, sed satis habet quærere, cur cùm sæpè, & facilè illud concrescat suo concretionis genere, hoc non adeò frequenter suo itidem concretionis genere coalescat, congelascatq;, oritur ergo difficultas ex verbis, *sępè, facilè, rarenter*, necnon *difficilè*, quod foris assumi debet. *Consideremus quidem* (inquit illic Taurus) *cur oleum sępè, & facilè stet, vina rarenter*, adde tu, vt respondeat τῷ *facilè*, & *difficilè congelascant*. hæc si sic accipiantur, omni porsus difficultate res careret. Vina frigore nimio quandoq; gelari, didiceram ex Plinio. *Mirum dictu* (inquit ille) *sed aliquando visum ruptis vasis stetere glaciatę moles prodigij modo, quoniam vinum natura non gelascit, aliàs ad frigus stupens tantùm*: nec non ex hoc altero Ouidij loco, quem tu ignorasti,

Ipse vides certè glacie concrescere Pontum;

Ipse vides rigido stantia vina gelu.

hoc ipsum docere voluisti lepido epigrammate, quod in Aesculapij templo Panticapensium scriptum fuisse refert Strabo ex Eratosthene, cuius Latinam interpretis versionem appingere operęprecium duxi, vt, quod volo, commodius appareat. *Si quis mortalium, qualia penes nos gerantur, minimè credit, hac inspecta noscat hydria, quam non vt pulchrum oblatum deo munus, cęterùm vt ingentis hyemis indicium Stratius sacerdos posuit*: sed & paucula hæc Græci scriptoris verba insuper cognouisse operęprecium fuerit. ὁ δ' Ἐρατοσθένης καὶ τουτὶ τὸ γράμμα προφέρεται ἐν τῷ Ἀσκληπιείῳ τῶν Παντικαπαιέων ἐπὶ τῇ ῥαγείσῃ, χαλκῇ ὑδρίᾳ διὰ τὸν πάγον. vnde scire licet nil aliud epigrammate illo significari, quàm hydriam in Aesculapij templo suspensam immoderato frigore discissam fuisse, quod hyemis impotentia quandoq; fieri solere

tradit

tradit idem auctor libro 7. necnon Afranius citante Nonio, *Quis tu es ventoso in loco soleatus, intempesta nocte sub diuo, aperto capite, silicem cùm findat gelus?* Virgilius Georg. 4.

Et cùm tristis hyems etiam nunc frigore saxa

Rumperet; idem quoque ob immodicum æstum nonnumquam accidere ex Horatio cognoscimus *seu rubra canicula findet*

Infantes statuas. Itaq; subit quandoq; mirari negligentiam, supinitatemq; tuam, cùm isthæc scriberes: sed volo tibi vnum quippiam subindicare, in quo ingenij tui acumen exercere valeas: in promptu causa est, cur vinum frigore congeletur, sed cur idem fulmine tactū quandoq; constringatur, hoc verò est, quod tuam philosophiam desiderat, doce igitur nos philosophaster, huius admirabilis effectus rationem: de facto constat ex Seneca, qui de fulminis natura loquens dixerit Naturalium Quæstionum lib. 2. *Stat fracto dolio vinum, nec vltrà triduum rigor ille durat;* ac ne quippiam de mendo suspiceris in verbis Senecæ, & nouam aliquam scripturam comminiscaris, narro tibi idem ipsum confirmare cap. 52. & eo, quod statim sequitur, dicens. *Illud est mirum, quòd vinum fulmine gelatum, cùm ad priorem habitum redit, potum aut exanimat, aut dementes facit.* causa huius admirabilis effectus nondum mihi patet: Arcadici autem vini conspissationem, cuius meminit Aristoteles Meteorol. 4. aliunde prouenit, sicut ipsemet illic disertè testatur: cùm de vini congelatione superius loquutus fuerim, hæc nunc addidisse superuacaneum videri non debet: περὶ τῶ πήγνυσθαι καὶ παχύνεσθαι verba mea dubitationem tibi omnem adimere poterant, nisi ea oscitanter legisses, aut etiam dedita opera dissimulasses contradicendi ansam vndique captans, nam ipse illic ita disertè scripseram: *ac proinde verbo vti πήγνυσθαι, vel potius παχύνεσθαι, quod persæpè Aristotelem vsurpare animaduerti.* quo sermone datur intelligi significare me voluisse magis conuenire hoc alterum παχύνεσθαι, quàm illud πήγνυσθαι; quamuis ita sumi debet verbum πήγνυσθαι, vt non omnem verbi κρυσαλλῶσθαι vim, facultatemq; exprimat, sed leuem quamdam concretionem tātummodo significet, cuiusmodi oleo accidere persæpè videmus: & solent scriptores indistinctè quandoq; vocabulis vti, cùm de eorum propria notione præcisè non disputatur: sic dixit Columella De Re rustica lib. 12. *Quòd si frigoribus oleum cum amurca congelabitur, plusculo sale cocto vtiq; vtendum erit.* & Vitruuius lib. 6. *Non enim debet oleum congelari, sed tepore caloris extenuari.* dummodo igitur verbum κρυσαλλῶσθαι penitus excludatur, licet nullo discrimine πήγνυσθαι, παχύνεσθαι, & si quod aliud huiusmodi extat, liberè vti. Ouidij carmen, quod ipse citas, ita in impressis codicibus legitur.

Nudaq; consistunt formam seruantia testę
Vina, nec hausta meri, sed data frusta bibunt.
tu verborum *nuda*, & *vina* ordinem inuertisti: an non in te quiduis harum rerum conuenit, quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus?

CAPVT VIII.

EGo putabam Transalpinis hominibus, ac præsertim Gallis in hoc literarum genere aliquid affirmantibus vel iniuratis credi oportere; in quo, vt video, fefellit me opinio mea, nam cùm ex Turnebo antea didicissem nullo discrimine interdum vsurpari verba *incrustare*, & *picare*, tu nunc Semigallus clamas, contendisq; plurimùm ea inter se differre, ac longè omninò distare, cui quàm tutò credatur, facilè iudicabit, quicumque diligenter secum reputare voluerit, quonam tandem pacto dictum sit ab Horatio,

Sincerum cupimus vas incrustare. quamquam non video, cur hîc mentionem ingesseris verbi *picare*, illo altero *imbibere* interim prętermisso, de quo mihi præcipuus erat institutus sermo, illic enim docebam, si rectè memini, *imbibere testam* esse liquamine aliquo præmunire ad continendos liquores per minima foramina, & illos quasi poros alioqui dilapsuros, nisi crusta aliqua cauernulæ illę obstruantur, ad quam rem significandam vsos quoque fuisse veteres affirmabam verbo *incrustare*; itaque idem mihi quandoq; valet *imbuere*, quod *incrustare*, sed & tibi quoque nisi hæc tua verba esse negas. *Festiuè Lucilius gentem nescio quam irridet, apud quam vinū insuaue nasceretur, quo imbutus, & incrustatus calix apud eos mellitum sapiebat.* Miscellio es, Villiomare, iterum dicam, miscellio es, & desultoriæ fidei, nam apud Festum *narica*, ita scriptum reliquisti. *Stagneum vas intelligit, ni fallor, incrustatum, nam stagnate erat περιπεταλῶ τὰ ἄγγη: vulgò in idiotismo dicimus, inuitriare, eo nomine crustarię tabernæ Romę institutę.* vbi *incrustare* est *inuitriare*, nunc *inuitriare* respondet τῷ *picare*, quis te ferat Cothurne? fermè autem labor, vt probem castigationem tuam ad carmen Lucilij, quod quidem non modò Porphyrio deprauatum adduxit, sed Acron etiam, eosdemque sequuti Lambinus, Turnebus, reliqui: verumtamen cùm sciamus vasa herbis quibusdam illini consueuisse, vnde ait Cato *Culignam in fęno Græco ponitor, vt bene oleat*, fortasse ferri posse videtur vulgata scriptura,

Incrustatu' calix ruta, cauliq; bibetur.
quam tu, vt eam propius admoueres tuæ sententiæ, concinnasti prius ex Porphyrione quopiam imaginario *rucia*, inde prodiit *crucio* aucto-
re

re Villiomaro: sed vel calix ille ruta circumlitus fuit, quomodo eosdem mali medici cortice illini cõsueuisse docet Alexander problemate quopiam, vel *ruta* sumitur *γενικῶς* pro qualibet re tetri odoris, & amari saporis, veluti *theriaca* apud Varronem, *Vel maximè illic didici & sitienti theriacam, mulsum: esurienti panem cibarium; sigilineum, & exercitato somnum suauem.* vel intelligit Lucilius de vino rutato, quod est teterrimi saporis, & amarissimi. Non est, quòd dubites de Horatij sententia, si reponatur *Quæ semel*, nam æquè de odore intelligitur, vt ostendi; tunc verò ipse membranarum fidem sequor, cùm mens auctoris, & ratio id mihi suadet.

CAPVT XI.

SANVSNE es, an ludis, fucumue nobis facere vis, an quid aliud? ego certè non capio istud tuum tàm subtile; hoc scio, ita me scripsisse ad locum Cęsaris, itaq; legi in excusis libris. *Diligenter considerare oportet Galbam planiciem occupasse, vbi vicus Vegrarorum Octodonas positus erat, inq; ea planicie castra vallo, & fossa muniuisse, ex quibus deinde cum Sedunis, & Veragroris pugnabat, qui ex omnibus partibus signo dato decurrentes milites adoriebantur*, & reliqua: quibus verbis, quod volui, abundè me significasse putabam, nam illud *ex quo in subiectos, & vallum ascendere conantes Gallos tela iacientes Romani verè dicti sunt à Cęsare ex loco superiore pugnasse, ac tela inferius misisse;* valet, ni fallor, *ex vallo, & aggere*, qui locus est superior. tu hoc reprehendis tamquã perperam pronunciatum, & tamen locum explicas, vt dicas, *Romani de vallo, & aggere pugnabant, qui erat altior Gallis oppugnantibus: vnde putas pugnari solitum, nisi de vallo? ergo pugnare de vallo est pugnare de superiore loco:* quod est perinde, ac si diceres: pugnare de superiore loco, non est pugnare de vallo, sed est pugnare de vallo: video te magnũ esse Plauti imitatorem, qui dixerit Captiuis,

Hos, quos videtis stare hic captiuos duos,
Illi, qui stant, hi stant ambo, non sedent.

sed te Logicissimum huiusmodi scurrilitates in seria disputatione minime decent, quare abi hinc dierectum, aut saltem exquire, qui te pro cerrito circumferat, nam caput istud,

Quæ poterunt vmquam satis expurgare cicutæ?

atenim quod quęris, vnde putem pugnari solitum, nisi de vallo; respondeo me existimare pugnari solitum & de vallo, & de fossa, & de æquo loco, prout res, atque occasio poscebat, in quo an falsus sim, Cæsarem, Liuium, Sallustium, Thucydidem, Polybium, Appianum, omnes denique historicos iudices constituo.

CA-

CAPVT XII.

CVIVSMODI sint, quæ hactenus scripsi, iam satis, superque vidimus: de hoc Maronis loco, quem aduersus Canterum explico, nil amplius dicam, quàm ipsum ab homine Transalpino fuisse contaminatum, à me homine Italo suo nitori, atque integritati restitutum, quod quàm leue sit, & nugatorium in præsentia quęrere differam sat habens eum non indignum Cantero visum fuisse, in quo is operam suam collocaret, at qui vir, & quantus? reliqua in sequentibus examinabimus, sed non omitto Lambinum quoque eumdem ipsum locum attigisse in Commentariis Lucretianis, & latenter Canterum sugillasse de hiatu, qui auditur in eius emendatione. Dicis me *leporem esse, & pulpamentum querere*, atque hoc alibi quoque Græcè repetis; de viuam, nisi ab huius prouerbij mente, consilioq; toto penitus cœlo aberrasti; quoniam Canterum leuiter interdum perstringo ipse grauiter fortasse persępè reprehendendus, iccircò lepus esse dicor, & pulpamentum quærere: adeste Aremorici omnes, audite, quid dicat vester popularis: Etrusci, & Vmbri, in quibus sal, quod in te est, non reperitur, aliud omninò prouerbium hic adhibuissent, nimirum hoc: αὐτόθεν κατάβαλε, vel Ἄλλων ἰατρός, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. vel, *Te ipsum inspice*, aut etiam Iuuenalis carmen vsurpassent, *Clodius accusat mœchos, Catilina Cethegum*; aut illud Catulli hûc aduocassent, *Sed non videmus manticę, quod in tergo est:* denique vnam aliquam sententiam excerpsissent, quæ innueret hoc mihi innatum esse, vt quo ipse vitio maxime laboro, eius in aliis acerrimus, ac vehementissimus reprehensor existam, nam certè illud tuum hoc quidem in loco manifestò alienum est, ac nullo modo quadrare potest.

CAPVT XIII.

CVM fortè hàc transires, vidisti, opinor, in Diui Laurentij templo ab coronice, quæ pulcherrimam illam Medicęę familiæ constructionē introrsus ambit, suspensa militaria signa rebellibus ciuibus ad Glanas iusto prælio fusis, fugatisq, direpta, aut in Diuę Mariæ Annũciatę (quam vocant) sacratissima æde plura ἀναθήματα spectasti; hoc tibi in mentem reuocauit istud de donariis, quod hîc alienissimo loco inculcasti; atqui ego non consueui miscere sacra profanis, nec mea ὑπομνήματα tanti facio, vt ea ἀντὶ τῶν ἀναθημάτων in quoquã fano suspendere velim: rem certè non prorsus indignam indicaui, quę vnum caput occupare deberet; siquidem in hoc genere scriptionis non grauiora

nibra fermè adnotari solent. Subtilis autem tua distinctio de canibus odorisequis, & cursoribus, nisi de ipsomet Xenophonte falsa esse deprehenderetur, certè ex ratione, quæ canibus breuia nomina imponi debere suadet, ineptissima esse facillimè collegeretur, nam Xenophon ait τὰ δ' ὀνόματα αὐταῖς τίθεσθαι βραχέα, ἵνα εὐανάκλητα ᾖ. quo etiā sermone vtrumque complecti voluit, hoc est, & vocationem, vt ita dicam, & reuocationem, quin & adhortationem quoque respicit præceptum illud, nam dixerat paulò antè. ἐμβοώντων αὐταῖς διωκομέναις, ἰὼ κακῶς ὅτι σαφῶς γε ὦ κύνες, καλῶς γε ὦ κύνες. rursus. καὶ ἐὰν πάλιν ἀπαντῶσι, διώκουσαι αὐτὴν ἀναβοᾶν, εὖγε, εὖγε ὦ κύνες, ἕπεσθε ὦ κύνες. rursus. ἐπειδὰν δὲ πύθηται ἤδη, ἐὰν μὲν ἐν τῷ ἴχνει ὦσι, προσάντα ἐγκελεύειν, τοὔνομα μεταβάλλοντα ἑκάστης τῆς κυνὸς, ὁποσαχῇ οἷόν τ' ἂν ᾖ τοὺς τόνους τῆς φωνῆς ποιούμενον, ὀξὺ, βαρὺ, μικρὸν, μέγα. & quæ sequuntur. quibus omnibus in locis, vbi vox κύνες visitur, proprium canis nomen non absurdè substitui potest, ac verò debet, sed de omni canum genere quod dixi, verissimum esse Columellę quoque indicio sciri potest, cùm ait lib. 7. cap. 12. *nominibus autem non longissimis appellandi sunt, quò celerius quisque vocatus exaudiat, nec tamen breuioribus, quàm quæ duabus syllabis enuntientur, sicut Græcum est* σκύλαξ, *Latinum ferox: Gręcum* λάκων, *Latinum celer, vel fœmina, vt sunt Gręca* σπουδὴ, ἀλκὴ, ῥώμη, *Latina Lupa, cerua, tigris.* Iacobus Constantius Fanensis vir in his nostris literulis magna cum laude versatus, quod ad canum nominum impositione pertinet; ita scriptum reliquit Collectaneorum cap. 22. *Et quia in canis mentione versamur, hoc etiam addendum censuimus, quod à Xenophonte in libello de venatione, & à Columella in octauo Rei rusticæ scribitur: Canum nomina breuia imponi debere, ac duas non excedentia syllabas, vt celeriter audiant, celeriterq; vocentur,* viden' Zoile, Xenophontem præcipere breuia nomina canibus imponi, vt celeriter vocari possint? hæc igitur mea ridicula est περιεργία, hæc Hellenismi inscitia; tua verò Grammatices imperitia spectatur ibi. *Dignam sanè rem, quę vnum caput occupare debebat.* qui hîc Grammaticam docent, ita loquendum esse præcipiunt, *dignam sanè rem, quę vnum caput occupare deberet,* vel *debuerit.*

CAPVT XIIII.

ΑΡπαγμὸς ἐκ Κρήτης. Habeatne prouerbij speciem aliquam hic sermo, an secus, non magis quęrendum mihi esse arbitror, quàm num tu sis Iosephus Scaliger, an alius quispiam Burdo sub ista persona latitans, ne agnoscaris. disputo ego de sententia illorum verborum, tu quæstionis diuerticulum quęris, quod tibi solemne est, vt dixi, cùm

te in angustum coniici vides. De Erasmo nihil prorsus dicam, quia Transalpinus est, atque iccircò ipsius causa tuo patrocinio defendi debet. *ἁρπαγμὸς ἐκ Κρήτης* est *raptus ex Creta*, hoc est *Creticus*. *τὸ βδέλυγμα τὸ Κρητικὸν*, vt eum vocat Tzetzes, quis hoc nunc ignorat ex auctoribus, quos adduxi? idem etiam sciri potest ex Aristotele, Strabone, & aliis, quos non adduxi, neq; enim opus fuit. *Creticus* inquam, eo pacto quo dictũ scimus *βάτραχος ἐκ Σερίφου*, *Μάγνητες οἱ ἐπὶ Μαιάνδρῳ*, *Μάγνητες οἱ ἐπὶ Σιπύλῳ*, hoc est *Magnetes à Sypilo*, vt dixit Plinius. *anus è Corynthο*, *Philocrates ex Aulide*, *Dauus è Samo*, *hœdus ex Ambracia*, sic *ales ab Indis*, *mulier ab Andro*, *Turnus ab Aricia*; *pastor ab Amphryso*; *Salius*, siue *Paron ab Arcadia*. ergo *raptus ex Creta* valet, raptus à Minoe Cretensi perpetratus. Vnde noueris librum, cui titulus *περὶ παίδων ἀγωγῆς*, non esse Plutarchi, vehementer scire laboro, nam docti viri aliter mihi persuaserunt.

CAPVT XV.

AESTVANDI causam in Horatij loco à doctis viris, Gallis præsertim sanè magnam habeo, aut saltem mea ratio cum illorum ratione coniunctissima est, neque enim ignorare potes, quæ super illo versu à Turnebo, ac Lambino scripta circumferantur, sed & Georgius Fabricius, & Gulielmus Xylander æstum augent suis interpretationibus: tu facilè omnes difficultates superas, adeò ingenio, ac doctrina vales: sit isthęc tua laus, quandoquidem ita credi vis; at mihi liceat interim te appellare furem, & quidem manifestarium Turnebi sententię, atque interpretationis. Porrò autem carmen ex Diris quàm aptè conueniat Horatianę sententię, etsi in meridie cęcutire soles, vidisti tamen, sed quia memineras te illic Horatij testimonium hoc adduxisse, voluisti vicissim illud hûc aduocare, vt paria faceres, ne quam Lyricus de te querendi occasionem haberet; laudo consilium, sed ploro temporis iacturam, quam fecisti in ea re pluribus explicanda, quæ iamdiù Turnebi admonitione, & mea deinde obseruatiuncula ita clara, atque aperta reddita erat, vt superuacaneum prorsus fuerit, pluribus te eamdem illustrare voluisse, sed profectò ita est, flagitium nullis victimis expiãdum te admittere credidisti, si diatribarum tuarum seriem capite illo omisso interrupisses: ornas deinde munus pulchra obseruatione super vocabulo *κεράσαι* καὶ *κρᾶμα*, qua de re nihil amplius dicam, quàm te Dictionarium Græcolatinum minimè consuluisse, cùm isthæc scriberes: ibi *κεραννύω tempero, confundo, diluo, adultero* disertè exponitur, *κεκραμμένος οἶνος vinum dilutum*, cętera, quæ hîc referre superuacaneum duco, quoniam illic inspici possunt: tantùm addam Plutarchi testimonium

nium hoc,quod in Lexico non reperias; ſunt autem verba ex *Συμποσιακῶν* Decade 8. *τίς οὐκ ἂν εἴποι ἐπὶ κῶμον Ἑλληνικῶς κωμίσσατον λέγεσθαι; καὶ τὸ κεράσαι μισκῆραι*:& quę ſequũtur: in Lexico habetur tantùm *κεράσε infundo*, hoc videlicet te Gręciſsimum, & ipſis Athenis Atticiorem decepit; nec meminiſti quàm multa diſputet Athenęus in hanc ſententiam: ſed & Latinis quoque *miſcere* eſt diluere,& *vinum mi ſtum*, hoc eſt dilutum, ſiue aqua infuſcatum. Horatius Satyra 4.lib.2.

Doctus eris viuam miſto merſare Falerno.

vbi veſter Badius *miſto*, inquit, *id eſt cum aqua*; ſed quid Badium nomino? imo Lambinus quoque ait *miſto,aqua diluto*.ſed aliud quippiam dicam nunc,quod & ipſum in Lexicis,ac Dictionariis fruſtrà quęſieris. *κεράσαι* eſt propriè *miſcere, confundere, diluere*, hoc eſt vino aquam infundere,vnde *vinum miſtum*, hoc eſt *κεκραμμένον*,cuius contrarium eſt *ἄκρατον*, à Ceraſſo quopiam, qui primus vinum cum Acheloi aqua miſcuerit, auctor Hyginus in Fabulis capite, Quis quid inuenerit, vbi ait,*Nomine Ceraſſus vinum cum Acheloo flumine in Aetolia miſcuit,vnde miſcere κεράσαι eſt dictum*. quò referendum arbitror Maronis illud à nemine hactenus, quod ſciam, rectè intellectum,

Poculaq; inuentis Acheloia miſcuit vuis.

probè autem penes Athenęum vinum infuſcatum, ſeu miſtum intelligo,quoniam ibi deinde ſequitur. *ἔπινον οὗτοι ἅλμην παραμισγομένην τῷ αὐτῶν ποτῷ*. Iam quòd per *ἀπόδειξιν ἐπίδειξιν* ſubſtituis, nugatorium eſt, nec quid referat,ſatis adhuc intelligere quiui: ac pro comperto habeo ne hîc quoque Lexicon te adiuiſſe: veh miſer,in qualibus peccas: plura dicerem de hac verſione, ſi eam tamquam meam agnoſcerem,nũc cùm fidem interpretis illic ſequutus fuerit is, qui meorum librorum editioni præfuit, videor mihi iure in ipſum defenſionis onus reiicere poſſe, & viuit adhuc ille quidem, vt audio, ſummo ſtudioſorum commodo,vt meritam gratiam ab eo expectare debeas; patere autem,vir eruditiſsime,hoc me tibi in aurem inſuſurrare. Niſi Iacobus Delechampius extitiſſet,verum Athenęi verborum ſẽſum nequaquam aſpexiſſes, modò illo præeunte facile tibi fuit in Græci ſcriptoris mentem penetrare.

CAPVT XVI.

IMPVDENTISSIME hîc mentiris,& mala omninò fide verba mea recitas, cùm ais. *Tibullus. Sed primùm Nympham larga donate ſalute, quibus, inquis, quid poteſt ſuauius inueniri?* dixi ego. *Tibulli verba ſunt hæc*. & cætera,quo pacto illud *quibus* refertur ad *verba*, nam alioquin non habet,quò referatur. Subdis deinde, *Et tamen in ipſis aliquid*

offendit Scaligerum; mea verba. *Et tamen in ipsis aliquid offendit Scaliger*; vbi *offendit* est *reperit*; quis ferat tantam impudentiam, atque inscitiam? Sed hæc leuia sunt præ illis, quæ totis istis tribus diatribis odiosè nimis deblateras: Veteres ego libros nõ contemno, haud tamen ita illis addictus sum; vt ne latum quidem vnguem ab eorum scriptura interdum discedere verear, præsertim cùm excusa exemplaria id mihi suadent, neque. n: ex nihilo esse crediderim, quod in vulgus dimanauit, ac, vt semel tandem de istis tuis antiquis exemplaribus, quæ tantoperè venditas os tibi occludam, volo hîc spectanda proponere Dionis Chrysostomi verba ex Sermone de Pulchritudine, ea autem adscribam quomodo conuersa extant à Thoma Neogeorgo, cùm Græcus liber nunc mihi non sit ad manum. *Omninò ergo alicubi bibliopolæ adhæsisti? Quamobrem istbuc tandem me interrogas? Quia cùm norint antiquos libros expeti, vt melius scripta, & in melioribus chartis: illi vilissimos præsentium scriptorum demittentes in frumentum, vt colorem veteribus similem contrahant, pariterq; corrumpentes, vendunt pro antiquis*. Strabo quoq; γεωγραφουμένων lib. 13. quippiam tradit ab hac re non valdè alienum, illic, vbi de Apellicone, & Tyrannione loquitur: sed redeo ad tuas reprehensiones. Achilles Statius nõ plures libros citat, in quibus legatur *meritam*, & *longa*, sed Florentinum dumtaxat, qui habeat *meritam*, & Sfortianum, in quo extet *longa*, itaque vnico tantùm teste vtraque lectio nititur, neque eam mordicus tuetur ille, sed leuiter admodum indicat; tu tamquam pro aris, & focis pro ea digladiaris: præterea non damno ego simpliciter vetera omnia exemplaria, sed tantùm affirmo istud tuum (Scaligeri dicere volui) cuius fidem tantopere nobis dilaudas, tàm crebrò peccare; atque adeò non leuibus mehercule maculis refertum esse, vt existimem ipsum aut imperiti alicuius amanuensis opera fuisse descriptum, aut à Scaligero, cùm audaciam suam aliquo prætextu tegere vult, tamquam testem domesticum in medium produci, certè semper ille habet bonos, & obsequentes libros: sed hæc fortasse longius, quàm oportuit: venio ad *Nympham*, quam vocem Etruscus aliquis ex suo idiotismo illûc intrusit, nam veteres Romani poëtæ amicam suam nequaquam isthoc pacto appellarent. hæc tu quidem itaq; sed Etruscus ille hoc Ouidij carmen tibi obiiceret.

Applicor in terras, Oebali nympha, tuas.

quòd si verum putas Aldi senioris iudicium de centum & quatuor illis versibus ex Paridis Epistola, afferret illud alterum ex epistola Penelopes ad Vlyssem.

Grata ferunt nymphæ pro saluis dona maritis.

hos locos imitatus fuit Hieronymus Vida Christiados lib. 5.

Hæc erat (vt reuocans rem cunctam ab origine pandam)

Iudæa

Iudæas inter virgo pulcherrima nymphas.
& Hymno Diuæ Margaritę dicto.
Nympha decus cœli, quam latè fama secuta est
Per gentes, sæuum non expauiss draconem Squamigerum. rursus ibidē.
Nympha decus cœli pulcherrima Margarite.
neque ab hoc longè diuersum censeri debet, quod ait Lucretius,
Nec Veneres nostras hoc fallit, quò magis ipsę
Omnia summoperè hos vitæ postscenia celent, & Virgilius.
Parta meę Veneri sunt munera. itidem Horatius.
Ipsum me melior cùm peteret Venus.
quorum imitatione dixit Politianus Elegia de Violis,
Formosę ò violę Veneris munuscula nostrę.
exiit nuper in lucem Aldi iunioris studio, ac diligentia Lepidi comici veteris fabula elegantissima, cui titulus *Philodoxios*, in ea Philodoxius adolescens ita loquitur, *Saluete, etsi mihi satis iniusti fortè sitis, saluete lares optumi, quibus persępè liceat Diuam & videre, & audire hanc, Diuam* appellans Doxiam ipsam, cuius amore tenebatur; *Dominę* quoque nomen in hac re vsurpatum scimus: & sanè consueuerunt amatores honorificis istiusmodi blandisq; nuncupationibus amasias suas appellare, cuius rei plura extant exempla in Plauti Comœdiis, sed & *ceruus*, & *capreas* easdem interdum blandiendi causa vocare solent, vt *cerua amorum, cerua agri, cerua aurorę, & caprea gratię:* hæc tu bipes asellæ, non minus ignorasti, quàm prouerbij, quo hîc vteris, verum sensum, qua de re alibi superius tibi corium defricui: *Nympham* igitur appellat sponsam Tibullus ex voto, quia scilicet eam vxorem ducere cupiebat. *Salue, & vale* salutationes sunt accedentium vna, abeuntium altera, quis hoc negat? sed tu vis *saluere, & valere* idem omninò esse, aut saltem ita dici *longum saluere*, vt *longum valere*, quod tamen probatione indiget, nam in bonis auctoribus sæpenumero quidem lectum est *longum valere*, at *longum saluere* nusquam fortasse reperias: *plurimum* siue *æternum saluere, & plurimam salutem* crebrò occurrit; ergo sermonis proprietas conseruari debet, cùm id commodè fieri possit, nec quicquam causæ est, cur vulgatam scripturam immutes: porrò versus Homeri ne minimum quidem tuam causam iuuat; primùm quia de Latini poëtæ locutione disputamus, non de Græci, deinde quia illic in quibusdam codicibus μάλα, non μέγα scriptum reperitur, postremò quia exemplum afferre oportuit, in quo μακρὰν χαίρειν à salutantibus vsurparetur, nam hoc est, de quo nunc disputamus: τὸ χαίρειν simpliciter adeuntium salutatio fuit, eaq; mane dumtaxat vsurpabatur, vnde Xyphilinus in Hadriano refert Cornelium Frontonem verbo χαίρειν, non ὑγιαίνειν Imperatorem salutasse, ἠσπάσατο (inquit) οὕτι γε τῷ

ἑωθινῷ προσχήματι τῷ χαῖρε, ἀλλὰ τῷ ἑσπερινῷ τῷ ὑγίαινε χρησάμενος. quem tamen locũ non oẽs intelligunt: ſed ad alia nũc mihi properandũ eſt. De Scaligeri audacia,& confidentia ſuperius initio huius capitis quippiam attigi, eaque totis his libris, vt digna eſt, accipitur; de eiuſdem eruditione res ipſa loquitur; ac magnum ſanè illius viri nomen effecerunt tùm multa diuini ipſius ingenij monumenta,tùm præcipuè Caſtigationes in Feſtum ex Farneſiano codice ad verbum exſcriptæ nomine interim prætermiſſo illius exemplaris, eiuſq; poſſeſſoris: Scaligeri plagium quoniam Romana, Florentinaq; editio nuper detexit, iccircò Itali indignis modis abs te exagitantur, qui inſuper de neſcio quibus frigidam quamdam fabulam commentus es tuo arbitratu, vt vniuerſam gentẽ in omnium odiũ iſthoc pacto vocares: liceat autẽ mihi vti verbis ſuauiſsimi poëtæ Franciſci Petrarcę ad oſtendendum, cur natura Alpes inter nos oppoſuerit; ea porrò verba perinde accipi velim,atque in te dumtaxat rabie ferocientem dicta ſint,non in vniuerſam gentem,quamquam poëta ille iuſto quodam dolore motus generatim loquutus fuerit; ſed ego te vnum hìc expreſsè deſigno, gentem ipſam nec tango,nec verò vlla in parte horum librorum vel minimum exagitatam volo; ait igitur Franciſcus Petrarca,

Ben' prouide natura al noſtro ſtato,
Quando de' l'Alpi ſchermo
Poſe frà noi, e la Tedeſca rabbia.

vocat *Tedeſca rabbia* Germanos ipſos bellicoſos,& feroces,ſicut Horatius *virtutem Catonis* pro ipſomet Catone vſurpauit, & de Germanis ipſis ita cecinit,

Nec fera cęrulea domuit Germania pube. Manilius quoque.
Cùm fera ductorem rapuit Germania Varum.

quod autem de Germanis hìc dictum eſt, de Gallis quoque, quà pertinet ad Alpium oppoſitionem, pari ratione dictum videri poteſt, de quibus tamen particulatim ad hanc mentem ſcripſerat Cicero De prouinciis Conſularibus. *Alpibus Italiam munierat natura, non ſine diuino numine: nam ſi ille aditus Gallorum immanitati,multitudiniq; patuiſſet, numquam hęc vrbs ſummo imperio domicilium, ac ſedem prębuiſſet*. mihi tamen Itali ſunt, quicumque rectè ſentiunt, nec magis ego noſtrorum ingeniis fauere ſoleo,quàm Scaligeri, Turnebi, Lambini, Douſæ,Canteri, Lipſij, denique generatim omnium, quocumque tandem in ſolo nati ſint, nam vnam dumtaxat literatorum nationem agnoſco, non plures.

CAPVT XVII.

FLAGITIVM, *audacia, temeritas, inscitia Titij: locus Ciceronis indignis modis à Titio laceratus, distortus, cruciatus*. Θαύματα, non ζεύματα: Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? si tàm promptus manu esses, cùm res exigit, & ad mucrones adducta est, quàm verba ista pollicentur, sanè alterum Herculem haberemus, aut potius Aiacem mastigophorum; at valdè vereor, ne Mars tibi sit ventosa in lingua, neue militem illum gloriosum imiteris, quem nobis deridendum propinat Plautus in Comędia illi cognomini, an hoc autem verum sit, ostendet præter cæteros, hic locus magna animi confidentia, mirificaq; verborum iactantia abs te pertractatus; in quo primùm vitio mihi vertis, quod Cęcilium, & Andronicum inter poëtas heroicos numerauerim; deinde quòd carmen hoc,

Dirige odorisequos ad nota cubilia canes,

Liuio Andronico tribuerim, cùm sit Lęuij: ais præterea dactylo constare, non trochęo in tertia sede Lucretij illud,

Quæ calidum faciunt aquę tactum, atque saporem.

item negas vocabulum *flictus* conuenire Ciceronis loco; insuper voce *scholion* pro *glossemate* perperam me vsum affirmas: denique pessimo consilio ex Ciceronis contextu me deleuisse clamas voces *tritu*, & *sępè*: hæc summa est, ni fallor, tuarum reprehensionum: his ego omnibus ordine respondebo: Ac primùm quidem cognosce, quęso, vappa, quàm sis nullius iudicij, qui credideris existimasse me Cęcilium, & Andronicum inter poëtas heroicos esse reponendos: dixeram ego. *Qui in vetustissimorum poëtarũ scriptis Ennij, Cęcilij, Andronici, Lucilij, cæterorum versati sunt, satis norunt*, & reliqua: hinc tu subtili quadam ratione, quam nos Itali non assequimur, tuum somnium elicuisti; quid? cùm de carminis lege agitur, non licet ex alterius generis poëta exemplum sumere? hoc si verum est, miror ego, cur, cùm videris carmina quædam Terentij à me citari libro 4. cap. 18. Locor. controuers. ad constituendam veterem scripturam illius carminis Horatij,

-ęqua tellus

Pauperi recluditur, regumq; pueris.

non dixeris putasse me Terentium poëtam Lyricum fuisse: non legisti Camerarium, Alciatum, Gyraldum, Scaligerum ipsum seniorem in Commentariolis vbi de versibus Comicis loquuntur, quod si vel semel tantùm vmquam fecisses, quàm multa diuersorum poëtarum carmina apud illos reperisses, quos poëtas non propterea comicos esse intelligi voluerunt: sed cùm popularis meus Crinitus docuerit me illud myu-

rum

rum carmen esse Liuij Andronici, cur non etiam docuerit Liuium, & Cęcilium fabulas Romæ edidisse, interq; poëtas comicos adnumeratos fuisse? quamquam Liuius quidem ob Homeri Odysseam à se Latinè conuersam, cuius initium hoc fuisse perhibetur, *Insequę Musa virum versutum*, epicus aliquo pacto nuncupari potuit. De Læuio quod subiicis, non nouam fabulam producis, sed veterem in scenam refers haud semel explosam, & exhibilatam, quam tu tamen vbicumque sese tibi dat occasio pertinacissimè obtrudis, vt vi saltē plausum exprimas, postquam iure impetrare nequis: nouimus quæ ad Ausonium de hac re scripta reliqueris; nec quid apud Festum *rediuia*, & *topper* rursus adnotaueris, ignoramus: rauias licet idem numquam non clamando, sta tui ego sequi eruditorum virorum iudicium, Terentiani (inquam) Prisciani, Victorini, Criniti, Gyraldi, Stephani, Turnebi, illorum denique doctissimorum, quos tu in *topper* animo designabas, cùm dicebas; *Quare apparet ita, vt posuimus, legenda esse verba Liuij, quæ neque senarij sunt, neque Liuius versibus Odysseam vertit, sed oratione soluta, tantum abest, vt debeant esse exametri, quod tamen videntur sentire doctißimi viri: nam ante Næuium nemo adhuc exametros Latinè scripserat, nec ipse Næuius quidem.*: quorum verborum nunc oblitus esse videris. cùm deinde veterem itidem cantionem repetis. *At nullus doctus tibi concedet Liuium Andronicum vllum heroicum scripsisse.* longè falleris, atque ego aliàs tibi demonstrabo, quàm procul à veritate abripiaris isto tuo phanatico errore, nunc tantùm dicam, non propterea desinere esse poetam comicum Liuium hunc, quòd aliquot heroicos versus senariis, aut octonariis fortasse immiscuerit, quomodo etiam non desinit esse tragicus Seneca minor, propterea quòd in Medea, & Oedipo aliquot exametros inseuit, & nonnullos sapphicos in ea ipsa Medea. heroicis versibus Thebaidem tragędiam Græcè scripserunt Antimachus, & Menelaus Aegeus. Quæ ipse de syllabarum modulo in voce *aquę* non capio, cepit Beda illo suo rudi, crassoque ingenio; cepit Argyropilus, cùm dixit,

Terram non terra, lympha cognoscimus aquam.

cepit etiam Gifanius amicus tuus, ceperat ante hunc Lambinus homo Gallus, qui & illam alteram tuam dimensionem nos docuerat, docuerat etiam Turnebus Aduersar. lib. 19. cap. 15. tu multa quidem mouisti, sed nihil adhuc promouisti. Dixi voce *flictus* vsum quoque fuisse Maronem, idque exemplo ex eo ipso allato verum esse demonstraui; tu voluisses notionem eius vocis in illo loco vsquequaque huic nostrę respondere, & super eò nescio quid argutaris ineptè; ego flictum παράτριψιν interpretor; ea est ipsa percussio, quæ modò cum sonitu, modò sine sonitu accidit, inde ignis excitatur. Ouidius Metamor. 15.

Siue leues imis venti cohibentur in antris;
Saxaq; cum saxis, & habentem semina flamma
Materiam iactant, ea conficit ictibus ignem.

quoniam autem huiusmodi vox nō ita propriè eo in loco fortasse vsurpabatur, iccircò à nescio quo illustrata fuit illius alterius appositione *attritu*; quæ demum propriè valet id, quod locus ille exposcebat: & sanè obscurum, & impropium vocabulum aperto, ac proprio explicari solet, non ex aduerso, quamuis haud prorsus impropriè illud vsurpari fortasse vincam Lucretij hoc testimonio.

Verùm semina sunt ardoris multa; terendo
Quę cùm conflixere, creant incendia siluis:

sic etiam Manilius ait lib. 1.

Ac silice in dura, viridiq; in cortice sedem
Inueniunt, cùm silua sibi collisa crematur.

sed profectò verum est ligna attrita, saxa illisa ignem ex se dare, ac illidas ætatem lignum ligno, contrà saxum saxo quantumuis teras, numquam ignem excitabis: ex hac differentia scripsit Lucretius lib. 5.

Et ramosa tamen cùm ventis pulsa vacillans
Aestuat in ramos incumbens arboris arbor,
Exprimitur validis extritus viribus ignis.
Emicat interdum flammai feruidus ardor,
Mutua dum inter se rami, stirpesq; teruntur. itidem lib. 6.
Fulgit item, nubes ignis cùm semina multa
Excussere suo concursu, ceu lapidem si
Percutiat lapis, aut ferrum: nam tùm quoque lumen
Exilit, & claras scintillas dissupat ignis.

propriè igitur attritum de lignis, ictum de lapidibus dici posse demōstraui. Qui *scholion* pro glossemate vsurpat, Villiomare, in Latini sermonis elegantiam non cōmittit, sed proprietatem potius negligit; *nam glossa vocem illam* (inquit Isidorus) *de cuius qualitate requiritur vno, & singulari verbo designat:* nihilominus tamen σχόλιον *glossema* explicatur in Lexico; & Budęus indistinctè alterum pro altero sumpsisse videtur Annotationibus in Pandectas.l.si fundi. tit. de vsufr. ibi. *Acursius hunc locum de frumento seminario intellexit, vt ex scholio, vel glossula eius apparet super verbo Instrumentum.* Mariangelus] quoque Diatribis in Solinum ad c. 53.ibi.*Eam, quę vltima aduenerit, laniant vniuersę*] inquit *scribendum lancinant, ex vetustis aliquot: verbum Plinio frequens; ac videtur scholion, interpretamentumq; fuisse quandoq; illud laniant.* Cur τὸ sæpe in contextu addiderim, ex Alexandri problemate planum feci: tu ad hæc conniues καὶ τυφλώττεις: hactenus mei facti rationem tibi reddidi; nunc tu vicissim doce nos, an sit Latinum *textus* pro *contextu*,

Laurentius quidem Valla id negat, tu elegantiarum, siue proprietatis sermonis pater securè nimis vsurpatione ipsa pronunciasti; scire itidem aueo, an *poema* pro *carmine* vmquam legeris; ego quidem *carmen* pro *poemate* sæpè reperi, *poema* pro *carmine* nunc primùm ex te audio.

CAPVT XX.

PROFECTO verum est insigni te impudentia præditum esse: contendis me offendere in loco plano, & puro: redi ad te mi homo, & considera diligentius, quisnam potius offendat, Cęlius ne Secundus, qui nodum in scirpo quæsiuit, an Robertus Titius, cuius hæc verba sunt, si meministi obliuio; *Sed hoc interim agamus, castigemusq;, aut lucem saltem aliquam inferamus, neque enim emendatione magnopere indiget, cuidam loco, qui positus est libro Controuers. 3. in hęc verba.* rursus in fine. *Quibus coniecturis affirmare ausim, ita procul dubio Senecæ locum corrigi debere, modò si correctione vlla opus habet, nam, verum vt fatear, nondum satis constitutum habeo, oporteatne vulgata scriptura, tamquam minus apta ex illius auctoris contextu à nobis reiici.* neque tamen ridicula videri debet castigatio mea, nam *lachrymæ* dicerentur *arentes*, quia introrsus actæ foris non apparerent, ita vt arere quodammodo viderentur; sic fermè loquutus fuit Seneca in Hypolito.

Fletusq; largos sistite arentes genę.

arentes genas vocans, quæ siccę, & arentes essent, si fletum sisterent. Ouidius inquit ad hanc mentem Metamor. 13.

Et pariter vocem, lachrymasq; introrsus obortas

Deuorat ipse dolor. denique cùm Scipio Gentilis bonarum literarum studiosissimus, veterumq; scriptorum acerrimus æstimator meam castigatione n non inuitus recipiat, nihil prorsus curare debeo, quid tu, tuiq; similes garriatis; ille autem iuuenis eruditissimus suis ad Torquati Tassij grandius poëma Adnotationibus Cantu (liceat autem mihi sic loqui, vt res melius intelligatur) 16. hos versus explicans

Si che tornò la flebile parola

Più amara indietro à rimbombar' sul' core,

postquam Ouidij carmen superius à me appositum retulit, inquit. *Al qual' loco d'Ouidio hebbe forse riguardo Seneca nelle Controuersie, oue dice. Premo interim gemitus meos, & introrsus hęrentes lachrymas ago. e di qui si conosce esser probabile l'emendatione di Roberto Titi, il quale legge arentes.* huius ego iudicium pluris facio, quàm te, hybridamque istum cerebrosum, nec sanæ mentis; est enim ille iuuenis literas veteres præter cęteros egregiè doctus, neque vllo maleuolentiæ, aut inuidię liuore suffusam mentem affert ad iudicandum. denique illa ego ita il-

lic exposui, non vt sententiæ, legisq; fundus, subscriptorq; fierem, sed vt probabilem emendationem studiosis harum literarum viris diudicandam proponerem.

CAPVT XXII.

DOCE nos, Tarpa, Latinè dici de imperio *suo ingenio* αὐτὶ τῷ *per se, vel suapte vi, ac natura*, nam *loci, aruorum, soli,* & *lactis ingenium* apud Sallustium, Virgilium, Plinium, Gellium, & alios non id valere, quod tu existimasti, tibi, cùm voles, ostendam: interim scias velim pronomen *suus* non semper reciprocari, quod nos præter cęteros Laurentius Valla, Gulielmus Budęus, Thomas Linacer, Augustinus Saturnius, Quintus Marius Corradus pluribus exemplis veterum scriptorum vndique collatis docuerunt: sed & Iulius Cęsar Scaliger magni filij magnus pater super huius pronominis vi, naturaq; subtiliter admodum philosophatus est in libris de Causis linguæ Latinæ. Donatus quoque ad illud Terentij.

Hei, metuo lenonem, ne quid suo suat capiti.

hunc in modum scribit, *Suo capiti dixit, cùm dicturus esset Phoedriæ.* hanc rem te optimum Grammaticum ignorasse vix credidissem; sed interim tamen referatur ad *imperium:* quid dicet Liuius? hoc scilicet. Curæ fuit Consulibus, & senioribus patrum, vt Dictatura suopte ingenio (est enim per zeugmam ab inferiori repetendum) vehemens, mansueto alicui permitteretur ingenio: vox *suo* ad imperium relata in sexto casu enunciatur, si rectè grammaticam teneo; Appium respiciens in tertio effertur, dicimus enim permitto tibi hanc rem, non te: ergo mutantur casus in eadem constructione ex tua grammatica. Deinde *suopte ingenio* dicendum fuit, non *suo*, sic enim loquitur Liuius, & qui Latinè sciunt: de Numa Pompilio sic ille inquit libro 1. *Suopte igitur ingenio temperatum animum virtutibus fuisse opinor magis, instructumque.* & quæ illic deinceps consequuntur: rursus lib. 25. *Inde ingens ferocia superbæ suopte ingenio genti creuit.* Sallustius lib. 9. Historiar. citante Charisio. *Cuius duas insulas propinquas inter se, & decem stadiûm procul à Gadibus satis constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere.* Tacitus Historiarum lib. 2. *Sabinus suopte ingenio mitis, vbi formido incessisset, facilis mutatu,* & reliqua; rursus lib. 4. *Igitur venientis exercitus fama, & suopte ingenio ad mitiora inclinantes Galliarum ciuitates, in Remos conuenere.* Synesij, atque Horatij exempla iccircò adduxi, vt intelligeres imperium illud per se non fuisse vehemens, sed ita demum huiusmodi futurum, si Appio Claudio demandatum esset, vehemens igitur Appij ingenio, hoc est, quod vehemens extitisset: iubeo te adire Dio-

nysij Lambini Commentarios ad Horatij locos à me citatos, necnon Herici Stephani diatribam quintam ad eumdem poetam propè finem; iis perlectis statim mirari desines; ac nos interim inscitiam tuam deplorabimus. quem verò Persium, atque Ouidium narres, non intelligo; nisi vos isthic meos codices deprauastis, Persius, & Ouidius toto illo capite numquam comparent; quid igitur tibi voluisti homo insanissime, idemque mendacissime?

CAPVT XXIII.

CVNCTA vno, eodemque modo plana, atque aperta tibi occurrunt, nihil tu quidem opus habes cuiusquam emendationibus, aut expositionibus: sed quæ ista tua inuidentia, vt ægrè feras alios edoceri, quæ fortasse ignorant, neq; enim omnes sunt Villiomari? illa nos rudioribus, non tibi isto ingenio, istaq; doctrina homini scribebamus, quamquam & ipse quoque mea illa adnotatiuncula eruditior euadere potuisses, nisi indocilis prorsus esses. Martialis quidem locus non adeò planus est, vt frustrà tempus in eo explicando posuisse videri debeam: nam Domitius Calderinus, & Nicolaus Perottus in illius explicatione non vsquequaque consentiunt: incidi ego in historiolam apud Stobæum, quæ poëtæ mentem plurimùm illustrare visa fuit, eam ibi appingere volui sequutus aliorum exempla in re simili: atque illi sanè tàm benè conuenit cum loco Stobæi, quàm Synesij, & Horatij testimoniis cum loco Liuij superius citato conuenire monstraui.

CAPVT XXV.

TV Priscianus alter nullum discrimen constituis inter verbum simplex, & compositum, inter *tondere, & attondere,* sed idem prorsus vtrumque tibi significat: nos rudiores putabamus nullam non differentiam inter illa duo vocabula intercedere saltem quoad ἐνεργίαν, siue ἔμφασιν. Plautus Bacchidibus.

> *-itaq; tondebo auro vsque ad viuam cutem.* rursus ibidem.
> *Is me scelus attondit doctis dolis inductum, vt libitum est.*

apud eumdem etiam in Captiuis sic reperiebamus.

> *Nunc senex est in tonstrina, nunc iam cultros attinet,*
> *Ne id quidem inuolucre inijcere voluit, vestem vt ne inquinet,*
> *Sed vtrum strictimne attonsum dicam esse, an per pectinem*
> *Nescio, verùm si frugi est admutilabit probè.*

si iudicium haberes, absque vlla appositione exemplorum vtriusque verbi vim, notionemq; statim intelligeres, quòd si ne sic quidem eam

consequi

confequi potes, ego tibi oftendam alia ratione Propertij carmen non effe fimile illi,

Ἡ μετέραις βουλαῖς Σπάρτα μὲν ἐκείρατο δόξαν.

Dicitur hîc Sparta totondiffe gloriam fuam; in illo Propertij fimpliciter Africa tonfa fub titulis Romanorum iacere, quod integram metaphoram nõ reprefentat, vt oportuit, vix enim eft, vt apud Latinos poëtas verbum *tondere*, cùm tranflatè fumitur, ἁπλῶς enunciatum reperias; contrarium certè pluribus exemplis Lucretij, Virgilij, reliquorum ferè omnium oftendere poffem; Homerus quoq; fic dixit Iliad. λ. de Aiace loquens, Κάρη τ' ἀσελθὼν βαθὺ λήϊον.

itaq; non permanes in Propertij locutione, cùm ais. *Quid ergo vis, Titi? Africa totondit gloriam fuam, non putas poffe dici, vt Sparta totondit gloriam fuam? item Africę attonfa eft gloria, vt Spartæ attonfa eft gloria?* hoc ego loquendi genus libenter agnofco, illud alterum, quo Propertium vfum fuiffe tibi fingis, nihil minus, nec tu id exẽplo, quod feciffe oportuit, confirmafti: iure igitur Scaliger tuus à me notatus fuit; atque ego contrà immeritò abs te infimulor, quòd à Græco fcriptore auxilium petierim ad Latini poëtæ fententiam explicandam, nam planè verum eft, nil de metaphora cogitaffe Propertium, cùm illa fcriberet; ac poëtæ quidem à corporis habitu, veftituq; libenter epitheta fumere confueuerunt: vnde Homerus Græcos καρηκομόωντας perfæpè vocat, Thracas verò ἀκρόκομους; Parthos βαθυπλοκάμους nuncupat Oppianus; Aethiopes τιθωνόκομον γένος appellat tragœdia: Curetes ἀκαρνᾶνες dicti effe memorantur διὰ τὸ ἀκαρεῖς φυλάττειν τὰς κεφαλάς: Pindarus ait Ode 4. Pythiorum -δοιοὶ δ' ὑψιχαῖται ἀνέρες. Horatius;

Hunc & intonfis Curium capillis
Vtilem bello tulit. Ouidius Faft. lib. 2.
Hoc apud intonfos nomen habebat auos. & de Ponto.
Venit ab intonfis vfque Seuere, Getis. Tibullus.
Frigidus intonfos Taurus alat Cilicas. Seneca Hercule Furente.
Intonfis teritur femita Sarmatis. Ouidius Faft. 3.
Interea Liber depexos crinibus Indos
Vicit. Martialis.
Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Aethiopes.

Statius. *Chromim, atque in terga comantes*
Non ego Abantiadas. quod ex illo Homeri in Boeotia fumptum videtur.

Τῶν δ' ἅμ' Ἄβαντες ἕποντο θοοί, ὄπιθεν κομόωντες.

qua de re confulendus eft Plutarchus in Thefeo: fed occurris tu duplici ratione. *Herodotus fcripfit Aegyptios caput rafitare folitos: ergo Aegyptij*

Aegyptij iidem, qui Carthaginienses, de quibus sensit Propertius: radere & tondere idem; Aegyptij, ergo Carthaginienses: radunt, ergo tondent. potuisses abstinere illa tua priore oppositione, satis enim à me responsum fuit, cùm dixi. *Nam quod Herodotus de solis Aegyptiis prodiderat, potuit suo quodam iure ad vniuersam Africam poeta transferre.* illi alteri sic occurro. Tondendi genus duplex, strictim, & per pectinem, σκάφιον, & κῆτος, Plautus;

Sed vtrum strictim ne attonsurum dicam, an per pectinem?

illud ad cutem ἐν χρῷ rasuræ proximum, de quo Ezechielis illud ex Septuaginta interpretatione intelligere oportet. καὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν οὐ ξυρήσονται, καὶ τὰς κόμας αὐτῶν οὐ ψιλώσουσιν. hoc longius, nimirum interposito pectine: ergo ait Propertius Africa ad cutem tonsa, hoc est, rasa, iaces sub Romanorum titulis, illud enim *ad cutem* supplere debet lectoris iudicium tonsurę generis non ignari, quod tu propter imperitiam præstare non potuisti; quamquam si *caluus* valet interdum *rasum*, & *rasus caluum*, vt tu superius annotasti, cur *rasus* non sit quandoque *tonsus*, & *radere tondere*, atq; ex aduerso? mihi itaque, vt vides, *tondere*, ac *radere* simpliciter non est idem, sed figuratè; quomodo frequenter poëtæ loqui consueuerunt: κειράμενος τὴν κεφαλὴν *tonso capite* reddit Erasmus, quod alibi dicitur, ἵνα ξυρήσωντες τὴν κεφαλήν. Propriè loquutus fuit Tiberius ex Dione, κείρασθαι μὲν τὰ πρόβατα, ἀλλ᾽ οὐκ ἀποξύρασθαι βούλομαι. potest etiam *Africa tonsa* dici, vtpote in seruitutem redacta, quomodo Lucanus dixit,

Et nunc tonse Ligur, quondam per colla decora
Crinibus effusis toti prælate Comatę.

seruis enim caput olim radebatur, ex qua consuetudine dictum est ab Aristophane in Auibus.

Ἔπειτα δῆτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις;

Porrò quòd ex suo codice profert Scaliger *tanta iaces*, idque quasi interpretans addit; *quod dictum* θαυμαστικῶς. ego leuiter reiicio, ac tantùm me hanc scripturam non probare significo; tu nescio quid de flagitio comminisceris, quod cuiusmodi sit, non magis ostendes, quàm noctu solem lucere; id certè in meis verbis non reperies; maiora etenim habeo, quæ Scaligero pro flagitiis imputem: sed antequam hunc sermonem definam, illud non omitto, quod citas ex Marone,

Bidente dicit attondisse forcipe
Comata colla. qua in re dupliciter peccas; primò versum, qui ex puris iambis constare debet, spondeo interiecto corrumpis, deinde quartæ sedis nullam rationem ducis, cùm saltem imparibus locis tantùm ille pes intermisceri soleat: sed nimirum ignorasti illic legi debere,

Bidente

Bidente dicit attotonse forcipe:

vt sit ab *attotondi* eodem prorsus pacto, quo *concucurri, excucurri, præcucurri, descendidi, sciscidi* dictum nouimus à Catone, Varrone, & Plauto, aliisque paulò vetustioris sæculi; hæc tu κριτικώτατος, καὶ ποιητικώτατος ignorasti, & tamen audes me reprehendere de voce *Dilutior* apud Nasonem, & de verbo *plicant*, in quibus qui librarij scriptoris peccatum non agnoscit, Hipsça cęcior videri debet: Scaliger Musarum delicium, Latina Syren legit *attodisse, vt sit, veluti attigo, pago; nisi sit*

Ait bidente tonsitasse forcipe.

sed asinum rudentem, non hominem loquentem audire mihi videor.

ROBERTI TITII BVRGENSIS

ASSERTIONIS LIBER SEPTIMVS.

CAPVT II.

HVic tuæ prolixæ diatribæ vnico fermè verbo respondebo, teque penitus ἐπιςομίσω. Allusio est, non rei propria designatio: *allusit* (inquam) *Iuuenalis ad veterum consuetudinem, qui infantes hirci dorso imponere consueuerunt, vt inde equitandi artem,* & cętera. disce quid sit allusio, quæ leges in ea seruari debeant, quæ vis, quis eius vsus in oratione, statim intelliges, nihil absurdi consequi, si Iuuenalis locus ita, vt monui, exponatur. Iam vnum animal pro altero quandoque poni superius demonstraui citatis pluribus testimoniis veterum poëtarum. Quòd quæris, an μῆλα sint hirci; respondeo quandoque esse, & vocem illam omnem quadrupedem interdum significare; de capris Homeri testimonium citatur hoc in Dictionario Græcolatino,

Ε᾿καςος ἐπ' ἤματι μῆλον ἀγινᾶ ζατρεφέων αἰγῶν.

idem notat Muretus ad illud Tibulli.

Dux pecoris hircus; auxerat hircus oues.

Si omnes equi sunt (inquis) *Chironi similes, qui Achillem iaculandi, & equitandi artem docuit, rectè discere poterimus ab equis nostris torquere iacula*. Hic sensus vitatur, si ita verba disponas: *torquere iacula à capella*, sicut dixit Ennius,

Ansatas mittunt è turribus. & Valerius Flaccus.

Et puer è primo torquens temone cateias.

nam *discere à capella*, esset capella, tamquam doctore vti. Diomedes grammaticus de Chriarum vsu in ablatiuo casu variato hoc exemplum proponit. *A Diogene Cynico philosopho traditum est in die accensa lucerna quæsitum hominem esse*. quorum verborum hic ordo est; *traditum est, hominem esse quæsitum à Diogene Cynico philosopho in die accensa lucerna*: non autem *traditum est à Diogene Cynico philosopho*, nam Diogenes Cynicus hoc non tradidit, sed ipse accensa lucerna in meridie hominem quæsiuit, tradidit autem, præter cæteros, Diogenes Laërtius: nō absimili ratione dictum est à Petro Angelio Cyneget. lib. 1.

Principio

Principiò nostras iuuenis formandus ad artes, & cætera.
Discat ab incuruis iaculum torquere lacertis
Eminus, & neruo celeres aptare sagittas.
hinc vides, aline, quomodo procedat syntaxis ad Iuuenalis mentem ex meo sensu: tu vicissim doce nos, si potes, quid tibi volueris, cùm inquis: ***cuius induendæ finis decimus septimus annus.*** hoc ego iàm hercule intelligo, quàm verba Punica Hannonis in Plauti Pseudulo, & illud alterum tuum: ***quos tu miro artificio nunc in hircos, nunc in capellas transfeuisti:*** nam τὸ ***finis*** aliud omninò tibi valet hoc in loco, quàm quod hactenus valere ab omnibus docti sumus; an, quæso, dicimus, ***decimusseptimus annus finis erat induendæ togæ virilis?*** ego putabam Romanos tirocinij die posita prætexta puram togam sumere consueuisse, qua perpetuò deinceps vterentur, cùm ea esset proprius Romanorum habitus, veluti pallium Græcorum: tempus togæ sumendæ fuit exacto iam decimosexto anno; ergo decimusseptimus annus principium fuit sumendæ togæ, non finis, tunc enim sumebatur. emptum maximo vel lem istam tuam caninam frontem spectare, cùm hæc leges: Non est, quòd immanes hircos tibi fingas: nam Hadriani numisma æneum in Græcia percussum ex altera sui parte Iouem capræ insidentem insculptum habet, quæ capram Amaltheę refert, quomodo alterum Valeriani argenteũ Iouem itidem simili habitu præsegerit; Cyparissus quoq;, quod & ipsum hûc aliquo modo facit, inequitauit ceruum ex eo ceruorum genere, vt opinor, qui apud nos passim reperiuntur: Ouidius

Nunc eques in tergo residens hûc lætus & illûc
Mollia purpureis frenabas ora capistris.

sic Phryxus & Helle arietem paris magnitudinis cũ nostris cõscẽderũt. Sequenti diatribæ respondere nihil necesse habeo, nam abundè respondisse videri potest Petrus Victorius Var. lect. lib. 8. cap. 9. quem locum omninò consulas velim, vt virtutis colore istud tuum impudens os, si quid oris habere potest κίναδος ἀναισχυντότατον, aliquando inficias tandem. Profligata iam veritate inscitiæ tuæ præclarum trophęum de inde statuis, inquiens. ***Capella notissimum nomen centurionis illis temporibus tironum exercitoris.*** quod tu notissimum nomen vocas, de quo nullum testem laudare possis? Caprum quidem Grammaticum, siue Aprum, vt nonnulli eum vocant, norunt omnes, & eum, cuius meminit Horatius in Satyra,

Vt sis tu similis Cœli, Burriq; latronum,
Non ego sim Capri. Cęcilium Capellam nominat Tertullianus libro ad Scapulam; Capellam Antistium Commodi Antonini Latinum literatorem Lampridius; & Martiani Minęi Felicis Capellæ libri adhuc circumferuntur, De nuptiis Philologiæ, & Mercurij, at Capel-

Iam iſtum centurionem nunc primùm ex te audimus: at fuit cognomen Romanum? noui, & ſcio: egregium ſanè argumentum; quanti refert iſti tuæ Dialecticæ inſudaſſe? at lectio hæc confirmatur gloſſa veteris grammatici? cedo hûc vel vnum exemplar Commentariorum iſtius tui grammatici? legiſti penes Domitium Calderinum Iuuenalis locum illum à Fidentino neſcio quo Calderini præceptore de Capella quopiam intelligi debere, placitum eſt commentum, ſtatim ab inferis excitaſti veterem grammaticum, qui Capellam campidoctorem interpretaretur; ita ſtultis imponere te poſſe credidiſti de iſthac re, non ſecus, ac de Apella Horatij, de quo Acron, & Porphyrio veteres grammatici, & poëtę illius temporibus propiores nihil prorſus meminerunt: habe tibi iſthæc χαμήλια, quibus imperitam iuuentutem allicias ad te amandum, ac ſuſpiciendum, qui eruditorum odio, & contemptu dignus ſis: nos nullum alium Apellam nouimus, præter clariſsimum pictorem illum, de quo Plautus Pœnulo,

- ò Apella, ò Zeuxis pictor,

Cur numerò eſtis mortui? & improbiſsimum illum hominem, cuius aliquoties meminit Polybius. ἀνδρὶ δέμας ἐικυῖα νέῳ, *ſimilis viro corpore iuueni: non enim eſt νέῳ δέμας, ſed ἐικυῖα δέμας.* ego puto hoc ſignificare voluiſſe Homerum; venit Minerua referens corpore virum iuuenem, viro iuueni ſimilis, ἀνδρὶ νέῳ ἐικυῖα, ſimilis (inquam) δέμας: ergo *ſimilis viro corpore iuueni:* ſed nonne rubor genas tibi inficit, cùm minuta hæc, & pappis leuiora ſcriptis mandas tantus homo in ſtudiis literarum? verè hę nugę ſunt, & vitrea fracta.

CAPVT III.

OMITTO vrbanitates tuas, & ſales, quibus iſtas diatribas condire voluiſti, vt eas doctorum palato iucundiores redderes, quãquam feciſti potius, vt nemo non impranſus diſcedere malit, quàm impuras iſtas dapes vel minimùm deguſtare, itaque vorabis tu, tuique ſimiles egregia ἐδέσματα tua opera, tuoq; artificio concinnata, ea certè nos tibi minimè inuidemus. Propoſuerat nobis Q. Catulus hominem, non figmentum hominis, ęreumq; aliquod ſignum ſemper vno, & eodem loco erectum, fixumque conſiſtens, ſe, inquam, non ſtipitem quempiam, aut lapidem Auroram reſpicientem; vnde fit, vt intelligere debeamus ipſum ſtatim conuertiſſe ſe Roſcio ſuperueniente, atque à tergo de improuiſo quaſi adoriente; neque autem neceſſe habuit poëta hanc rem particulatim exprimere, cùm ea ſtatim nullo negocio lectoris animum percuteret viſo epigrammate, hæc enim mutatio, & corporis conuerſio neceſſariò tunc fieri debuit: ſic Virgilius cùm dixiſſet Aen.4. de Iarba loquens,

Dicitur ante aras, media inter numina diuûm
Multa Iouem manibus supplex orasse supinis.
postea subiicit per quamdam reticentiam,
Talibus orantem dictis, arasq; tenentem
Audiit omnipotens. qui orat manibus supinis, non tenet aras, sed & illud fecerat Iarbas, & aras deinde prehenderat, quod orantes facere consueuerunt, sic etiam dixit Homerus Iliad. α.
Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν.
cùm nusquam tamen superius Chrysem flentem induxerit: Seneca quoque Hercule Oetęo de Lyca loquens, quem ab Hercule interfectum narrat, inquit,
In astra missus fertur, & nubes vago
Spargit cruore. quomodo in nubibus cruorem spargit, nisi alicui rei solidę impegit, aut eum Hercules pugno, aut calce prius percussit? quo sanè pacto reperias apud Virgilium,
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum. hęc igitur ita dicuntur, vt περισσολογία vitetur. Cùm habeam nunc non Petrarcę quidem, sed alterius poëtæ insignis tamen, & nobilis odam, qua Catulli epigrammati lux mira infertur, visum est eam hîc subindicare, vt cum illo conferri possit, Annibal igitur Carus poëta elegantissimus, ac lepidissimus Latini hominis epigramma fuit aliquantò laxius Etruscè imitatus, cuius versus quoniam multi sunt, non inserui, qui volet legere, ex hoc versu habebit exordium.
Eran' l'aer tranquillo, e l'onde chiare.

CAPVT V.

NIL noui affers isto tuo ingenti verborum apparatu ambitiosa ostentatione, magnoq; supercilio in tot τμήματα distributo, nam quę περὶ παράσημ, deq; tutela nauis commemoras, nota erant, antequam Theognis nasceretur, & iamdiù est, quòd Lilius Gregorius Gyraldus eruditè admodum, ac diligenter pleraq; omnia obseruauit in libro De nauigiis, ex cuius potissimum scriptis verbosam istam diatribam concinnasti: Lazarus quoque Bayfius, Marcus Antonius Muretus, Hadrianus Turnebus, Laurentius Valla, Ioannes Brodęus non minori adiumento tibi fuerunt ad farraginem istam construendam: nam quę de Iosepho Scaligero in suis ad Festum Annotationibus voce *Europam* sumpsisti, tuo iure fecisti: at non ea de re potissimùm illic ego disputabam: tu tamen solens facis, vt omissis super quibus pugna exoritur, de scammate, & loco certaminis egrediaris, & in peregrinas, lon-

gèq; alienas diſputationes immoreris: ego ſingillatim ad omnia paucis tibi reſpondebo, vt intelligas, quantum in literis profeceris. Ac primùm ſcias velim minimè abſurdum eſſe naues ab inſigni πελαργοχρώτοῦς nuncupari, nam Romana quæpiam legio *Fulminatrix* vocabatur ab inſigni, quod in clypeis pictum geſtabat, & tamen clypeus non eſt pars militis: eius meminit Valerius Flaccus lib. 6.

Cuncta phalanx inſigne Iouis, cęlataq; geſtat
Tegmina, diſperſos trifidis ardoribus ignes:
Ne primus radios miles Romane coruſci
Fulminis, & rutilas ſcutis diffuderis alas.

non loquor autem modo de Chriſtiana Antonini Philoſophi legione, quæ κεραυνοβόλος diceretur, nam aliã huius nominis cauſam eſſe ſcio. ſic *Mineruia, Iouia, Herculea, Martia, Alauda, Pacis, Salutis, Cornutorum,* à rebus, quas in vexillis pictas pręferrent, cognominatas ſcimus: à re itidem minima ſecutores *Pinnirapi* dicti fuiſſe videntur,

Pinnirapi cultros iuuenes, iuueneſq; laniſtæ.

& *caligatus* per ſe pro milite accipitur penes Iuuenalem,

Cùm duo crura habeas offendere tot caligatos.

ſic Burdo quiſpiam Scaliger dictus eſt, proptereaquòd Veneriis ſub ſcalis quibuſdam ſcruta, & ſulphurata popello diſtraheret, inq; tabernæ fronte ſcalas pictas haberet; & nihilominus ſcalę illæ non erant pars illius homuncionis. potuit inſuper regia nauis ciconiæ effigie inſignita vniuerſæ claſsi nomen dare, quamquam nõ ignoras cheniſcum in ſummo nauium poni conſueuiſſe, vel quòd eam partem in anſerini capitis formam fabricarentur artifices; vel potius boni ominis cauſa, vt nauem immerſibilem futuram συμβολικῶς indicarent exemplo illius auis, quæ fluctus enatat: hoc te docere potuit Phauorinus, & Gyraldus ille, cuius ſcripta compilaſti. Negas deinde me in verſu Lycophronis,

Ὑπὲρ Καλυδνῶν λευκὰ φαίνουσι πτίλα.

πτίλα pro velis accipere, ſed remos ipſos obſtinato contra veritatem animo intelligere calumniaris; proferam commentarium, vt conſtet de calumnia. *Vltra Cycladas albas oſtendens alas, neque enim hoc loco pro albis alis remos accipere oportet, tantum enim abeſt, vt hi ſint albi, vt ſoleant etiam vnà cum tota naui pice oblini,* & quæ ſequuntur. Ego exiſtimabam his verbis abundè me indicaſſe falli eos, qui illic apud Lycophronem πτίλα remos interpretabantur, cùm potius de velis illud verbum accipere oporteat, nunc (vt video) rem non ſatis aperui, quocirca iterum, ſæpiuſq; alta voce clamabo πτίλα eſſe vela, non remos, tùm quia vela ſunt alba; Homerus Odyſſea β.

Ἕλκον δ' ἱστία λευκὰ ἐϋστρέπτοισι βοεῦσιν. rurſus libro δ.

ἀνὰ δ' ἱστία λευκ' ἐπέτασσαν. vnde φώσσωνες dicuntur à verbo φῶ: remi non item; tùm quia (est autem hæc tua ratio) vela primùm ex longinquo sese nobis conspicienda obiiciunt, remi ne minimùm quidem apparent: πτέλα igitur sunt vela, vela (inquam) non remi. Hesiodus in opere, cui titulus ἔργα καὶ ἡμέραι.

Ὅπλα δ' ἐπάρμενα πάντα τεῷ ἐνὶ κάτθεο οἴκῳ,

Εὐκόσμως στολίσας νηὸς πτερὰ ποντοπόροιο.

Ioannes Tzetzes Chil. 1. de boue Minois.

Πτερὰ δὲ τούτων γίνωσκε, τὰ λαίφη τῶν ὁλκάδων.

rursus Chil. 12. de fabulosis alatis.

Σιδώνι' χερῶν τῷ ὕδῳ ἔφθυγον βάντες πλοίῳ

Ἢ καὶ δυσὶν ἐν πλοίοις δὲ, ὥσπερ πτερὰ τὰ λαίφη. Propertius.

Nec te, quòd classis centenis remiget alis,

Terreat, inuito labitur illa mari.

sed hîc tu me ad grammaticos redire iubes, à quibus nimis citò ad illa scribenda me contulerim: parui libens, & Laurentio Vallæ iterum me in disciplinam tradidi; is mihi tironi aduersus te veteranum hæc arma suppeditauit. Virgilius.

Gurgite septeno rapido mare summouet amnis. idem.

Per duodena regit mundi sol aureus astra:

Plinius. *Altera maior foliis laterum modò inclusa, quæ quia septena sunt,* & reliqua. rursus alibi. *Prodigiosa sunt, quæ circa hoc tradit Theophrastus auctor alioqui grauis, septuageno coitu durare libidinem contactu herbæ, cuius nomen, speciemq; non posuit.* quibus ipse alia sexcenta exempla insuper addere possem, nisi res notior esset, quàm vt de ea dubitandi locus relinquatur; sed tamen hos Virgilij hemistichios non omittam *-centum cui brachia dicunt, Centenasq; manus*: itemq; hos alteros Papinij *-optet nunc brachia centum,*

Centenasq; in bella manus. in vno brachio non potest esse nisi vna manus, ergo centum brachia, & centenæ manus eumdem numerum designat; sed & alas quoque de remis dixit diuinus noster Etruscus poëta ibi. *De remi facemmo ale al folle volo.*

Quòd nauium Antonianarum magnitudinem spectat, non est, cur tantopere labores, id enim, si non aliunde, certè ex Lambino scire potui, cuius tu scholion ad Horatij Odam,

Ibis Liburnis inter alta nauium

Amice propugnacula. propè in compendium redegisti: miror autem non suboluisse tibi acutissimę naris homini de figura συνεκδοχῇ, qua dictum est ab Hesiodo in opere, quod inscripsit ἔργα καὶ ἡμέραι.

ἑκατὸν δέ τε δοῦραθ' ἁμάξης. necnon à Virgilio.

Centum

Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus. rursus.
Templa Ioui centum latis immania regnis,
Centum aras posuit, vigilemq; sacrauerat ignem.
sunt qui putent Thebas ἑκατομπύλυς dictas, non quòd centum portas haberēt, vt existimasse videtur Homerus, sed quòd multa, & magna templorum vestibula, quę Grecis προπύλαια dicuntur, in eis forent, ideoq; vrbs cognominata fuerit ἑκατόμπυλος quasi πολύπυλος, vt sit numerus finitus pro infinito. ego scio classem Antonij centum septuaginta nauibus constasse, verùm poëtæ has minutias non magis curare consueuerunt, quàm aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas. Porrò simpliciter, atque absolutè dictum est *remigare*, non coniunctim *velis remigare*; quamquam cur & non hoc quoque pacto fideiubente Turnebo Aduersar. lib. 16. cap. 12. his verbis? *In eodem Festi commentario passerem marinum legimus esse struthiocamelum, qui cùm ita volare soleat, vt à terra se non tollat, sed alarum passis velis vna currens remiget.* Virgilius dixit *remigium alarum*; & Claudianus,
Dum predam de more putat, viduataq; cęsis
Remigibus, scissis velorum debilis alis.
Lucretius quoque lib. 6. inquit.
Remigio oblitę pennarum vela remittunt.
Sed & Aeschylus etiam in Agamemnone eodem pacto locutus fuerat, vt res iam tot auctoritatibus testatissima sit, omitto iam Luciani contextus emendationem, de qua mirificè tibi places; omitto autem tamquam rem minimam, & ex eo genere, ex quo plures superius magno cum tedio deuorauimus, & alioquin propero ad Varronis locū, quem stolidè nimis me accepisse contendis. Responde mihi, nisi molestum est, vbi vmquam videris, legeris ciconias in altis turribus nidum ponere consueuisse? palàm est te Aristotelem non legisse, nec Gesnerum qui dem hominem tibi, vt audio, amicissimum consuluisse apparet: ij tibi ruborem incutere potuissent, nisi ferream frontem haberes; neque te excusaret ineptissimi poëtæ auctoritas (vt interim locum vnum, vnde in re desperata aliquid auxilij vtcumque petere posses, tibi indicem) qui dixerit,
Glotorat immenso de turre ciconia rostro.
nam Petronius multò potior auctor inquit.
Ciconia etiam grata peregrino hospita,
Pietatricultrix, gracilipes, crotalistria,
Auis exul hyemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.
at vox naufragij (inquis) *quę te in errorem impulit*, μεταφορικῶς *sumitur*. par pari referam, ne doleat. illud *in terram*, quod labendi occasionem

casionem tibi præbuit, *μεταφορικῶς* sumitur, valetq; omne id, quod corpore premimus, vel cui nitentes insistimus, in qua significatione percommodè eam illic vsurpauit Varro, vt ænigma obscurius redderet; pari modo à Virgilio dictum opinor,

-spumant vada marmore verso.

Ennius epitheti adiectione vocauit mare *cęrula prata*, idemq; dixit;

Inde Parum per cęrula nauibus ambulabant.

expressius tamen Virgilius, quod volo, confirmat dicens;

-vastis tremit ictibus ærea puppis, Subtrahiturq; solum.

qua mente Ouidius ipsum cœlum stellarum solum vocat;

Astra tenent cęleste solum.

CAPVT VI.

IN Aristotelis contextu iamdiù est, quòd doctis viris de mendo suboluit, iidem in verbis Aeliani nihil quicquam adhuc suspicati sunt; vnde efficitur (ni fallor) vt Aristotelis potius, quàm Aeliani locus castigati debuerit.

CAPVT VIII.

NIHIL est in illis meis libris, quod non de aliquo scriptore didicerim, etsi de *Philippeo* quæ scripsi, non satis memini, vnde acceperim, tu, qui tantum memoria polles, auctoris nomen prodere debuisti, cui furtum fecerim: ego interim gratias tibi ago immortales, quòd me plagiarij nomine non compellaueris; volo autem è re nata Budęi quemdam locum in memoriam tibi redigere, si quicquam fortè pertineat ad istam tuam reprehensionem à me depellendam, is Annotationibus in Pandectas titulo de Officio Præfecti Pręrorio inquit. *Nostra autem nunc voco, quæ ex aliis accepta, nostra fortasse fecimus, siquidem rectè, & concinnè suo quidq; loco accomodauimus:* sed & Gulielmus Canterus Epistola ad Lectorē, quæ ipsius Nouarum Lectionum libris pręfigitur, rationem affert, quamobrem mirari non oporteat, cur fiat, vt in hoc scripti genere nonnulli quandoque diuersis in locis eadem tradant, atque ita inter se concinant, quasi alteri sit alter, quod pro suo proderet, suffuratus; Iacobus quoque Durantius idem prosequitur Epistola itidem ad Lectorem, quę in calce suarum Variarum spectatur; idque Turnebus, Muretus, Nannius, Modicius, alij suo exemplo verissimum esse docuerunt: sed nos hoc omisso pergamus id exequi, quod potius est; Tò, *intelligere oportet numisma, vel argentum, nam de pecunia dicimus Philippum, non Philippeum,* valet (si nescis) adiectiuè accipi debere,

bere, vt sit numisma, vel argentum philippeum, nam de nummo simpliciter dicimus *Philippos*. Horatius.

Bis septem rutilos regale numisma philippos. Plautus Pœnulo.
Qui ad te trecentos philippos modò detulit. &
Trecentos philippos Colabisco villico Dedi dudum.

sic Charinos, Darios: adiectiuè extulit Plautus Asinaria;

Vnum istorum quodq; verbum numis philippeis aureis
Non potest auferre hinc à me. & Curculione
- ibi nunc statuam volt dare auream
Solidam faciundam ex auro philippeo.

quòd si aliquando *philippeos* legeris, memineris desiderari substantiuum *numos*: hoc, quod fortasse à me obscurius primò dictum fuit, explicatur illis alteris verbis. *Atque Horatius quidem, aliiq; boni auctores ipsum philippum vocant, non philippeum, nisi cùm adiectiuè (vt loquuntur grammatici) enunciant.* equidem tarditatem tuam, stuporemq; ingenij mirari non desino.

CAPVT XVI.

NVNC tandem ingenuitatem tuam agnosco, Villiomare, peccatum fateris, culpam deprecaris: equidem quòd ad me attinet, tantùm abest, vt veniam tibi denegem, vt summis etiam laudibus istud tuum probum ingenium posthac prædicaturus sim, ita enim meritus es ob tàm præclarum factum: elicuisti amorem ab eo, qui tibi inimicissimus esse deberet; sed ego perfacilè iras sumo, atque depono, proinde ac quisque meretur, ita erga ipsum afficior, & quantum quisque veritati studet, tantum mihi aut amicus, aut inimicus est, denique sanè mollem animum habeo ad accipiendam, & deponendam offensionem, ac certè irritabiles animos optimorũ hominum, eosdemq; placabiles esse decet, irritat autem aduersarij pertinacia, & contumacia, placat facilitas, ac probitas: abstinuisses duntaxat à reprehensione doctorum virorum Beroaldi, Merulę, Auantij, Pij, Criniti, Robortelli, aliorum, in cęlum te omnes Itali efferremus; nunc fieri non potest, vt vniuersa natio ad aram confluat, & magnum numen adoret, nam paulò acerbius in eam inuectus es, cùm ais, *Dolet vobis homines transalpinos vos docere, quę nesciebatis; quicquid autem ignoratis, hoc à vobis error vocatur.* ego quidem à nemine adhuc impetrare potui, vt crederet, istam vocem non iudicio, sed morbo animi à te profectam, quo etiam maximo laborat ille alter semigallus Burdo, cuius quidam emissarium te esse prędicant, & quem ipse nunc te esse fingo, cùm hæc scribo: nihil amplius à me tibi prestari potest pro mea tecum reconciliata gratia:

enitar

onitar certè omni tempore, quantùm in me erit, hanc de te opinionem ex animis hominum euellere, ostendamq; pro virili te stultitia potius transuersum abripi, quàm voluntate. Sentio me incredibili admodum voluptate perfundi, cùm tecum loquor, itaq; volo adhuc, nisi tibi molestum est, hoc gaudio aliquantùm frui, & liberè, vt inter amicos decet, animi mei sensum apud te, inq; tuo sinu deponere. Frustrà tibi fingis aliam pœnam Tantali in Tibulli carmine, tametsi nemini sis persuasurus aliud pœnæ genus illic innui à Latino poëta, licet tuum *circa* recipiatur, siquidem nihilominus Tantalus siti, ac fame non secus torquebitur, ac si præpositionem *circum* retineamus, neq; enim propterea pœna immutatur; sed, vt vera sit diuinatio tua (tuam voco, vel quia commentum probas, vel quia Scaligero personam in hac fabula peragenda commodasti) dico ego frustrà te aliam pœnam Tantali in Tibulli carmine quærere; neque verò necesse est, cùm vulgata scriptura vetus commentum, ac toties decantatum percommodè exprimat; illud alterum, cuius meminit Euripides, norunt etiam Latini scriptores Lucretius lib. 3.

Nec miser impendens magnum timet aëre saxum
Tantalus (vt fama est) cassa formidine torpens.

M. Tullius De finibus bonorum, & malorum. *Accedit mors, quę quasi saxum Tantalo semper impendet: tùm superstitio, qua qui est imbutus, quietus esse numquam potest:* sed & Plato quoque ex Gręcis de eodem meminit in Cratylo: necnon Pindarus Ode prima Olympiorum, & octaua Isthmiorum: Pausanias in Phocicis non sibi liquere affirmat Anchilochone, an cuipiam alij hoc inuentum tribui debeat, quod alicubi coloribus expresserit Polygnotus. atenim velim patienter audias Ioannem Tzeztem, vt discas, quod hactenus ignorasti, is de Tantalo verba faciens inquit poëtas fabulatos fuisse ipsi viuenti saxum superimpendere, addit autem,

Τῦτο μὲν τὸ τιμώρημα ζῶντος φασὶ Ταντάλυ.

eumdem verò apud inferos existentem fame, sitiq; torqueri.

Θανὼν δ' ἄλλας ἐφθέγχε βαρείας τὰς κολάσεις:
Διψῦ γὰρ ὗτος, κὴ πεινᾷ, δίψαν κὴ πέναν δίαν;
Μέσῳ γὰρ λίμνης ἵςαται. & cętera.

eodem supplicio, quo Tantalus viuens, afficiuntur apud Virgilium Lapithę, Ixion, & Pirithous. *Circitor* in epigrammate

Quid mecum tibi circitor moleste.

non deducitur à verbo *circare*, vt tu existimas, sed à *circumire*, quasi *circumitor* extritis è medio duabus literis *συγκοπτικῶς*, vnde etiam fit *circitus*, qua dictione aliquoties vtitur Sidonius; aut etiam dicitur, quasi *circinator* eadem figura, quam etiam vocem vsurpat idem Sidonius:

nius: nam tuum *circare* emitteret ῥηματικὸν *circator*, quomodo *ab amare, salutare, adulari, instigare, calumniari, potare, scortari, licitari, amator, salutator, adulator, instigator, calumniator, potator, scortator, licitator* deriuantur; contrà ab *audire, blandiri, polire, suffire, munire, nutrire, lenire, partiri,* & reliquis quartæ συζυγίας, *auditor, blanditor, politor, suffitor, munitor, nutritor, linitor, partitor* formari nouimus: idque nos docet Charisius lib. 2. Institut. Grammatic. *portitor* verò à regula desciscit, quocirca in exemplum trahi non debet, & sunt, qui non à *portare,* sed à *portu,* vel *portorio* formari existiment: hęc tu pro tua summa prudentia diligenter considerabis, &, quid sequi nos oportere statueris, mihi significabis, id mihi tàm gratum accidet, quàm quod gratissimum, est enim eiusdem propemodum generis cum illo Plinij *cuttatam,* de quo alibi mecum litigas: atque hæc mea sententia est de isto tuo *circare*; quòd si aliorum etiam iudicium requiris, audi quid censeat Scipio Gentilis ad illud Torquati Tassij;

Se con tal legge è dato, io più nol chero.

Mà lo chero de' Prouenzali, e poi de' Toscani vien dal Latino Quæro, che noi volgarmente diciamo Cercare; lo qual' verbo hanno scritto alcuni, che si troua ne' libri à penna di Propertio in quel verso;

Per fontes erro, circoq; sonantia riuis

Stagna. prima si leggeua circaq;: di che sia la fede appò d'essi, & il giudizio appò gli giudiziosi lettori. verbum *circulari* Latinè sumitur pro circulos quosdam efficere, vt, exempli gratia, cùm plures homines in vnum conueniunt rei alicuius nouæ audiendæ causa, quod vocabulum & Græci, & nos quoque nostra lingua in eumdem sensum vsurpamus: at *circare* nihili est.

CAPVT XVIII.

DII boni quanti est sapere; *elegantissima* (inquis) *elementorum* πλοκή. *cœlum* (*inquit*) *non producit arborem peculiarem terræ, sed nubes: mare non producit nubes peculiares cœlo, sed pisces, terra non producit pisces peculiares maris, sed arbores.* In carminibus Lucretij istam tuam πλοκὴν ego non dispicio, nec ἰδιότητας στοιχείων ἐν κύκλῳ agnosco: sed vt vtrumque illic extet, numquam tamen efficies, quin nubes è maris vaporibus coalitæ in ęquore esse rectè dicantur præsertim cùm adeò densæ, ac frequentes exoriuntur, vt ipsi mari quodam modo incumbere videantur, quod persæpè vsuuenire sciunt omnes; vt nō opus sit vlla maiori philosophia ad hanc rem explicatius intelligendam: auctor Panegyrici Maximiano dicti. *Nec fefellit opinio vestræ felicitatis, siquidem, vt ex ipsorum relatione comperimus, ad tempus ipsum tantæ se deo*

so maris

so maris nebulę miscuerunt, vt inimica classis, apud Vectam insulam in speculis, & insidiis collocata, ignorantibus omninò hostibus praeteriretur: & nihilosecius licet tibi philosophari cum tuo Aristotele, qui scripserit in Problematis causam quęrēs cur nubes maximas Zephyrus agat, ἢ διότι ἐκ πελάγους πνεῖ, καὶ κατὰ τὴν θάλατταν. ἐκ τᾶλλοι ὧν καὶ συνάγει. sed quid tu scribas, censeasq; non est magnopere laborandū; illud equidem vehementer doleo, Hieronymum Vidam hominem eruditissimū, nostraq; memoria poëtam elegantissimum ad illum Lucretij locum respicientem ita cecinisse Christiados lib.4. *prius aequore salso*

Esse queant nubes, aut pisces viuere in aruis,
Arboris aut stirpes frondescere in aetheris oris.

eadem facilitate percipitur, quod scribit Plinius niuem in alto mari nō cadere, idque cum Lucretij loco ex mea castigatione maximopere congruere dignoscitur, nam si niues in alto mari non cadunt, ergo ibi non sunt, nec esse queunt, neque video ego, cur probare debuerim niues in mari non gigni, cùm simpliciter dicat Lucretius,

-non ęquore in alto *Ningues esse queunt*;

sicut de arboribus dixerat, ipsas in æthere esse non posse, est.n. ζεῦγμα ab inferiori, quocircą succensere mihi non debes, si harum rerum imperitissimum te esse prædico; sed & philosophiæ tuæ par, ac propè geminum specimen aliud nobis præbes, cùm *cælum* στοιχεῖον appellas eiusdem prorsus generis cum aqua, & terra, qua in re ipsi philosophorum principi te aduersari palàm est, nam quocumque tādem modo vocem illam sumas, numquam *cælum* elementum esse peruinces ex eo elementorum genere, quo ignem, aërem, aquam, terram elementa esse dicimus: consule tuum Aristotelem, philosophaster, illic, vbi ait. ἕνα μὲν τρόπον οὐρανὸν λέγομεν, τὴν οὐσίαν τὴν τῆς ἐσχάτης τοῦ παντὸς περιφορᾶς. & reliqua: sed fingo te per *cælum* aërem ipsum poëtica licentia intelligere voluisse, quomodo Virgilius dixit,

-varium cæli prædiscere morem.

quod ex hoc Lucretij interpretationem sumit;

Sunt etiam quę sponte sua gignuntur, & ipsa
Constituuntur in hoc cælo, qui dicitur aer.

quid dices, pexe, pinguisq; doctor, cùm mare elementum aquæ esse hariolaris, an hoc ex tuo Aristotele didicisti? atqui is μετεωρολ. β. pluribus verbis disputat aduersus illos, qui de hac re, ita, vt tu μετεωρολέσχος, sentiebant; sed non requirimus à te hęc φιλοσοφούμενα, & fortasse Lucretij locus non debet exactè ad hanc normam examinari; saltem in rebus puerilibus non peccasses, doctum te omnes fateremur, nunc, cùm in notissimis quibusque offendas, quid aliud, quàm stipitem, fungum, asinum, Burdonem te appellabimus, Trecentis versibus tuas im-

 puritias

puritias traloqui nemo poteſt. De loco Theocriti certum eſt nequaquam te Idyllium illud inſpexiſſe, cùm iſthæc ſcriberes, nam ſi illud recenter conſuluiſſes, ſtatim cognoſcere potuiſſes de ipſo mari, non de litore, aut vicinis regionibus illîc verba fieri, inquit enim poëta.

Ἡ μὲν ἄρα προφυγοῦσα πέτρας ἐς ἓν ξυνιούσας
Ἀργὼ, καὶ νιφόεντος ἀταρτηρὸν στόμα Πόντου,
Βέβρυχας εἰσαφίκανε θεῶν φίλα τέκνα φέρουσα.

& verè quidem, ſummaq; ratione eo pacto mare illud appellatur, vel propter viſus refractionem, quæ fit de mare in aërem, vt inquit Ariſtoteles, vel quòd lacus omnes, quàm mare candidiores ſunt, Pontus autem in lacus ſpeciem albeſcere videtur; ipſius porrò Ariſtotelis verba, ſi quis ea requirat, ſpectantur in Problematis, quæ modò ipſe breuitatis gratia conſultò prætereo, cùm illîc inſpici queant; hanc cauſam intuitus eſt Naſo, cùm cecinit.

Quin etiam ſtagno ſimilis, pigreq; paludi
Cęruleus vix eſt, diluiturq; color.

ſic enim proculdubio ſcribendum fuit, non *dilutior*, quomodo perperam me inuito operę typographicę repreſentarunt; & tamen, ſi te imitari ſtuderem, hoc eſt pertinaciter contendere vellem, non deeſſet, quo probabiliter ſcripturam illam tuerer, nam hoc exemplum ex Homero primùm afferrem.

Πατρόκλου ποθέων ἀνδροτῆτά τε καὶ μένος ἠΰ.

necnon Lucretianum illud teſtem producerem.

Præter enim quàmquòd morbi eſt, cùm corpus ægrotat.

denique verſus omnes caudam trahentes *προκοιλίους* à Græcis vocatos proferrem; ſed ingenuus ſum, ac tantùm abeſt, vt typographorum peccata tueri velim, vt mea quoque, ſi vlla fortè admiſiſſe comperiar, confiteri, eademque altero quaſi pedatu emendare paratus ſim: atenim priuſquam Ouidij carmen è manibus dimittam, admonendus mihi es de non leui tua lapſione, cùm ais. *Neque Ouidius in iis verſibus, quos adducis, aliud intelligit, quàm ſalſum maris ſaporem dilui confluuio tot aquarum dulcium in Euxinum irrumpentium.* Ouidius non loquitur nunc de ſapore maris Euxini, ſed de colore, quem dicit non eſſe cęruleum, vt maris aqua eſſe conſueuit, ſed dilui confluuio aquarum in ipſum ſeſe exonerantium, & reliqua. De voce *ἐρεύγεται*, quod ſubiicis, falſus es, prorſuſq; ignorare videris notionem huius vocabuli. *Eructare*, & *abſorbere* contraria eſſe nemo inficiatur; mare autem niuem in litus eiicere, & quaſi vomere tàm verum eſt, quàm te ſanę mentis eſſe; nix.n. aquam tangens ſtatim liqueſcit; alga, conchę, & alia maris purgamenta in litus eiiciuntur, vnde Apuleius Apologia pro ſe ipſo prima ſic inquit. *Hęc enim friuola, quæ nominaſtis, pleraq; in litoribus omnibus congeſtim,*

gestim, & aceruatim iacent, & sine vllius opera quàmlibet leuiter motis flucticulis vltrò foras euoluuntur: eiectamenta hæc, & friuola, enumerat *conchulam striatam, testam hebetem,* (sic enim malo, non *habentem,* vt est in omnibus ad vnum vulgatis libris) *calculum teretem, cancrorum furcas, echinorum calculos, loliginum ligulas, postremò assulas, festucas, resticulas, & ostrea Pergami vermiculata, denique muscum, & algam, & cętera maris eiectamenta, quę vbique litorum ventis expelluntur, salo expuuntur, tempestate reciprocantur, tranquillo deseruntur.*

CAPVT XX.

DIxi equos, quibus Σ litera inusta esset, *samphoros* nuncupari; hoc tu, tamquam rectè pronunciatum agnoscis, non enim reprehendis, & tamen dicuntur σαμφόραι, quomodo illi alteri κοππατίαι: si tibi constare volebas τὸ *samphori* quoque notare debebas, & Lodouicum Cęlium imitari, qui *samphoras*, & *coppatias* vbique nominat: sed narro tibi Latina inclinatione dici equos *coppatios*, & *samphoros*, à Græco κοππατίας καὶ σαμφόρας nullo Græcę terminationis respectu, quomodo ex aduerso *Lytas* dicimus ἀπὸ τοῦ λύτους. De Pollucis loco aurem tibi vulsit idem Cęlius, necnon Erasmus in adagio, quod citas, sed & Lexicon in consilium adhibuisti, ex quibus omnibus œgrè tandem concinnasti maiorem partem istius diatribæ, sed si alterius prouerbij meminisses ἵππου γῆρας, sermonis istius compendium fecisses, etenim licet nihilo plus sapias, quàm puer bimus, facilè tamen tibi fuisset intelligere, equos non admodum generosos pro defectis, ac senescentibus haud absurdè sumi posse, præsertim cùm dicat Nemesianus.

Nam quęcunque suis virtus benè floruit annis,
Non prius est animo, quàm corpore passa ruinam.

in quibus versibus nō obscura est allusio ad Sophoclis locū ex Electra,

Ὥσπερ γὰρ ἵππος εὐγενὴς, κἂν ᾖ γέρων,
Ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν,
Ἀλλ᾽ ὀρθὸν οὖς ἵστησιν. & cætera, quæ sequuntur: verumtamen esto, vt tu iubes refractariole, quid hoc ad Calphurnij locum, de quo in primis ipse disputabam? hic tuus est mos; semper te recipis ad ἐκτροπὰς, cùm rectam viam insistere nequis; attamen numquam effugies, veniam quòcumque vocabis.

CAPVT XXV.

HIc tibi difficultas oritur ex genere venationis, sed, cùm memineris pantherarum naturæ in feris persequendis, statim intelliges,

ges, quàm bonus chirurgus fuerim; tu autem homo ex argilla, & luᶜto fictus neque ex vulgata scriptura, neque ex mea castigatione Plauti mentem assequi potuisti; afferam igitur aliam interpretationem, quam tu pro tua Villiomaritate verissimam esse non negabis: *saltum* igitur vocat Plautus σαθμὸν, cubile scilicet, & lustrum ferarum: Plinius lib. 8. de Ceruis. *Editos partus exercent cursu, & fugam meditari docent: ad prærupta ducunt, saltumq; demonstrant*. tua expositio eòdem recidit, quò omnium Commentariis diuulgata, nam fruticetum per se à saltu non multùm distat, quà pertinet ad loci spatium, itaque dixit Horatius, vt est in pluribus calamo notatis libris, & typis descriptis,

Celer arcto latitantem fruticeto excipere aprum.

nam aliqui legunt *alto*, & sunt præterea, qui *arctum* densum, profundum, atque impeditum interpretentur. *Saltum autem* (inquit Festus) *Gallus Aelius libro 2. significationum, quæ ad ius pertinent, ita definit: saltus est, vbi siluæ, & pastiones sunt, quarum causa casæ quoque*. itaque manet eadem difficultas in tua expositione, quam ego tollere conatus fui: quãto autem periculo aprorũ venatio exerceatur, docet Xenophon Institutionis Cyri lib. 1. atque adeò ipso Commentario De Venatione. sed Virgilius porrò ita canit Aeneid. 10.

Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper (multos Vesulusquem pinifer annos
Defendit, multosq; palus Laurentia) silua
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitq; ferox, & inhorruit armos;
Nec cuiquam irasci propiusq; accedere virtus,
Sed iaculis, tutisq; procul clamoribus instant:
Ille autem impauidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas.

quid isthic fiat, tu videris; ego nihil prodo, quod non veteris alicuius auctoris testimonio comprobetur, nam ita me gerere didici in disputationibus harum literarum, quamobrem Petri Angelij insignes locos de aprorum venatione prætereo, qui Cynegeticon lib. 1. & 4. spectantur.

ROBERTI

ROBERTI TITII BVRGENSIS

ASSERTIONIS LIBER OCTAVVS.

CAPVT IIII.

QVID ego noui afferam ſuper notione vocabuli *σκάφη* vel cęco apparere poteſt, &, vt magis intelligas, dico vocem hanc non valere inſtrumentum coqui, quo ex ollis ius hauritur, ſed vas, in quo farina aqua conſpergitur ad placentas formandas, arcam panariam videlicet, quæ alio nomine *κάρδοπος* à Græcis nuncupatur, vel quam Florentiæ *tafferiam* vocant, nos Vmbri *piadena* appellamus à Græca voce *πλαθάνη*. Porrò *ſcaphium* penes Iuuenalem,

Et ride ſcaphium poſitis cùm ſumitur armis.

vt ſit matula muliebris, non deſinit eſſe vas liquori continendo accommodatum, quam rem non tanquam nouam oſtento, ſed pro veteri propono aduerſus nuperum commentum Ferrandi Adduenſis ruſticum inſtrumentum illic interpretantis, quamuis Eraſmus quoque *ligonem* antea reddiderit: neque verò neceſſe habui, cùm aduerſus Ferrandum illum tunc diſputarem, explicare notionem illius vocabuli, ſed cùm is pro ruſtico inſtrumento *γενικῶς* acceperit, ei interpretationem de vaſe rei liquidę continendæ deputato obiicere ſatis habui, alioqui non ignorabam eſſe vas, cui ſoleant immeiere mulieres, ita enim didiceram ex Dictionariis, & ex Iuuenalis, Martialiſq; interpretibus, necnon ex adnotatione ipſa ad oram Plantini codicis ad Satyram ſextam eiuſdem Satyrographi, verumtamen cùm poculum etiam interdum ſignificet oblongioris figuræ, cautius fuit illo pacto generatim vocabulum illud explicare, vt ad vtrumque referri poſſet: ac ſanè haud aliter interpretatur Nonius, quàm vas aquarium; quòd ſi *σκάφη* καὶ *σκάφιον* idem omninò pollet, vt video te exiſtimare, cur non id ſit vas liquori continendo accommodatum, vt dixi, cùm non matulam dumtaxat, inſtrumentum coquinarium, & poculum denotet, verum etiam ſitulam, & lintrem. Plutarchus De ſolertia animalium. *ὧν ἅμαις καὶ σκάφαις ἡμῖν ἐκ τῶν βασιλικῶν ἀρύσθαι θεάτρων ἡ καλὴ Ῥώμη παρέσχηκε*. Arrianus in vita Epicteti. *δεῖ αὐτὸν κυκκύμιον ἔχειν, ἵνα τὸ θερμὸν ποιήσῃ τῷ παιδίῳ, ἵν αὐτὸ λούσῃ εἰς σκάφην*. ego generatim omnes illius vocabu

li notiones complexus fui, tu cæteris explosis, vnam tantùm expressisti; vide nunc quàm multa noua attulerim, quæ tu ignorasti? addo etiam (ne quid indictum, quod hûc pertineat, omittatur) σκάφιον esse tonsuræ genus sic vocatum à similitudine piscatoriæ scaphæ inuersæ, cuius formam representat caluaria certo quopiam modo derasa: & hoc tu æquè, ac superiora, ignorasti.

CAPVT VII.

PER abusionem παθητικῶς vsurpauit Terentius verbum deponens, quomodo etiam Apuleius De philosophia, *sed quæ non omnes adipisci queunt*, pro acquiri: Minutius in Octauio, *Vbi autem magis à sacerdotibus, quàm inter aras, & delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur?* sed & Plautus quoque in Trinumo.

Non ætate, verùm ingenio adipiscitur sapientia.

Lucilius etiam in Satyris dixerat citante Prisciano.

Conturbare animam potis est, quicumque adoritur.

Lucretius lib. 1. *-posset claro comitari Hymenæo.* sic Cicero *consequi*, & *assequi* alicubi posuit, vt docet Muretus: hoc tamen non prohibet, quo minus Plauti, ac Terentij loci inter se similes sint; atque esse quidem clamat Obertus Gifanius homo Transalpinus inquiens. *Nisi dixit* (Lucretius scilicet) *pro conatibus, & anxia illa cura, quam puellæ, quæ amantibus se placere student, ponere solitæ sunt ad se moliendas, comendas, & ornandas, de quibus illud Terentij*

Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

sic enim ex veteri quodam libro illum locum legendum non dubito, cùm & Plautus ita sit loquutus: & sanè multa reperias per contrarium significantia; pro actiuis passiua, vt, *-pictis bellantur Amazones armis.* pro passiuis actiua, vt *-populatque ingentem farris aceruum:* atq; item alia huius generis plura, quæ hîc referre superuacaneum duco; de eis loquitur præter cęteros A. Gellius Noctium Atticarum lib. 15. cap. 13. & libro 18. cap. 12. & Dionysius Halicarnassęus notat in charactere Thucydideo. non tamen desunt, qui in Terentio legant; *Dum moliuntur, dum conantur:* quemadmodum in Plauto *molendis*, siue *molliendis* pro *moliendis:* verumtamen (vt dixi) non minus similes censeri debent, quod ad sententiam pertinet, Plauti, ac Terentij loci, propterea quod in vno deponens sit verbum *moliri*, passiuum in altero, quàm si vtrobiq; vel deponens, vel passiuum esset; variè siquidem hæc verba sumuntur, vt ostendi. De *exugula*, & *exugere* tunc demum tibi respondebo, cùm aliquid afferes, cur meum consilium probari

non debeat, nam hactenus tùm ex iis, quę illic citaui, tùm ex his, quæ hîc producam, satis ipsum constituisse mihi videor. Plautus Casina.

Eho tu nihili, cana culex, vix teneor, quin quę decent
Te, dicam. & Mostellaria.
In anginam ego nunc me velim verti, vt veneficę illi fauces prehendã.

Sophocles Electra.

Νῦν δ' ἡμέρᾳ γὰρ τῇδ' ἀπήλλαγμαι φόβου
Πρὸς τῆσδ' ἐκείνου θ' ἥδε γὰρ μείζων βλάβη
Ξύνοικος ἦν μοι, τοὐμὸν ἐκπίνουσ' ἀεὶ ψυχῆς ἄκρατον αἷμα.

repeterem insuper Theocriti versus ex Idyllio 2. nisi vererer, ne operæ typographicę iterum perperàm illos repræsentarent.

CAPVT X.

CVIVSMODI fuerit equestris pugnæ mos, præter eos auctores, quos indicaui, docet etiam Dio libro 50. in descriptione prælij naualis apud Actium commissi inter Octauianum, & Antonium, dum ait Cęsarianos similes fuisse equitibus modò irruentibus, modò se recipientibus, propterea quod identidem appellere, ac retrò abducere naues ipsi suas possent; contrà Antonianos legionis armatæ speciem habuisse appropinquantes sibi obseruantis, eosque retinere omni studio conantis. nec etiam non indicat Sallustius De bello Iugurthino. *quibus illi freti, non vti equestri prœlio solet, sequi, deinde cedere, sed aduersis equis concurrere, implicare, ac perturbare aciem.* Cornelius Tacitus Annalium lib. 6. *Sarmatę omisso arcu, quo breuius valent, contis, gladiisq; ruerent; modò equestris prœlij more, frontis, & tergi vice, aliquando vt conferta acies corporibus, & pulsu armorum pellerent, pellerentur.* huc allusit Virgilius Aeneid. 5.

Olli discurrere pares, atque agmina terni
Diductis soluere choris; rursusq; vocati
Conuertere vias; infestaq; tela tulere:
Inde alios ineunt cursus, aliosq; recursus
Aduersis spatiis, alternosq; orbibus orbes
Impediunt; pugnæq; cient simulachra sub armis.
Et nunc terga fugę nudant, nunc spicula vertunt
Infensi; facta pariter nunc pace feruntur.

vbi describit, quam Græci παλίωξιν etiam vocant. tu ex Aeliano quędam decerpsisti, quibus veritatem infuscare te posse credidisti, sed vnus Liuius in eiusdem Cannensis prælij descriptione, quam Polybius illic narrabat, rem omnem patefaciet, cuius adeo verba hîc appingam, ne necesse habeam tuas ineptias singillatim pluribus refutare; inquit ille

lib. 22. *Clamore sublato, procursum ab auxiliis, & pugna leuibus primum armis commissa: deinde equitum Gallorum, Hispanorumq; leuum cornu cum dextro Romanorum concurrit, minimè equestris more pugnę: frontibus enim aduersis concurrendum erat, quia nullo circa ad euagandum relicto spatio, hinc amnis, hinc peditum acies claudebant*; expende parumper illud *ad euagandum*, & considera an eo tua ἐπιστροφὴ significari possit, quæ similis est vmbræ gnomonis in heliotropio, quæ super eodem cētro circumagitur; nisi stolidissimus sis, hoc numquam dices; vel nos te loquacissimam talpam, aut Burdonem esse verissimè affirmabimus.

CAPVT. XI.

PRO Deûm, atque hominum fidem, te ne adeò stupidum esse, atque effrontem, vt mentem meam non assequaris, vt me ea dicentem facias, quorum ne vestigium quidem in meis scriptis appareat vllum? Dixi ego legendum mihi videri in carmine Propertij,

Et citius pigros sol agitabit equos.

pro *nigros*, quod est in vulgatis exemplaribus: tu dicis causam te comminisci non posse, cur id fecerim: causam ego planissimis verbis expressi hanc: solis equi pernicissimi sunt, vt pote qui vnius diei spatio tantum ambitum conficiant; quomodo igitur absurdum non videatur, si quis eos pigros appellauerit? aliam deinde ob causam dictum est ab Ouidio.

Et reuocant niueos solis euntis equos.

& contrà de nocte à Tibullo.

Iam nox æthereum nigris emensa quadrigis
Mundum, cęruleo lauerat amne rotas.

sed in Propertij carmine perperam, & ab re vllius coloris mentionem ingesseris. Deinde addis: *nam quid vis, cùm ais τὸ ἀδυνάτων non esse, si solis niger, & obscurus fiat, obsecro te, quę est ista subtilitas tua?* audes tu homo imperitissime, ac mendacissime affirmare isthæc mea esse verba? an verò non scripsi ego? *Quid enim color ille, aut quiuis etiam alius solis equis adiunctus opis, atq; auxilij afferre potest eo in loco ad poetæ mentem nobis ostendendam? aut rem, de qua illic agitur, efficacius exprimendam, in quem vsum epitheta depromi solent?* quorum verborum sensum te nō percepisse liquidò constat: obsecro te, quæ est ista stupiditas tua?

CAPVT XIII.

DE Oberti Gifanij obseruatione, cuius scripta hoc loco me compilasse clamas, respondeo primùm, Si id est peccatum, peccatum

imprudentia

imprudentia est scriptoris, non qui furtum facere studuerit: & ex tuo Mureto excusationem affero hanc; Hoc cùm primùm scripsi, non me mineram idem à Gifanio notatum esse: idem est ius mihi, quod illi. Deinde non hoc ego illic præcipuè agebam, vt Seruij verborum contextum emendarem, sed vt poëtæ consilium aperirem, qui *salem panaceum* appellauerit; quocirca non fuit necessarium in re, quam sic leuiter per transitum attigi, Oberti Gifanij meminisse, nec par mecum ratio est Gulielmi Canteri, quem Turnebi analecta verrere dixi lib. 4. c. 6. Locor. controuers. quamquam tu Floridum somnias, de quo ego totis illis meis libris ne verbum quidem: fuit tamen Franciscus Floridus vir ingenij acumine clarus, & eruditione præstans, pluresque libros confecit Italo iudicio, ac doctrina refertos, Apologiam videlicet in Plauti, aliorumque Latinę linguæ scriptorum calumniatores: De Iuris ciuilis interpretibus librum vnum; De C. Iulij Cęsaris præstantia libros tres; Lectionum subsciuarum totidem: Callimachi himnum in Dianam Latinè conuertit, quæ omnia Rodulpho Pio Cardinali Carpensi nuncupato dicauit; Homeri quoque Odysseę libros octo priores Latij iure donauit, Franciscoq; Valesio Regi vestro studiosorum Mecęnati liberalissimo nuncupauit, qua re de ipso non nisi modestè, atque honorificè loqui debebas, *nescio quis* tamen quodam quasi contemptu abs te appellatur nullam aliam ob causam, vt reor, quàm quia Italus fuit, non Transalpinus, at rumparis licet, huiusmodi semper habitus est Floridus, vt vix ei vigilanti pro statua lucernaria deseruire dignus esses: aut igitur *Lucilium* forrasse scribi debet illic apud Seruium, veluti Gifanio placet, aut etiam *Licinium*, vt tu putas, quod ego tamen non puto, quippe qui non videam necessitatem huius tuæ argumentationis. *Ex quibus apparet fuisse poetam, qui nominatim de eo scripserit: & quis alius fuerit, præter Licinium Macrum?* sed est innexio syllogismi ex tua Logica, quã nos Itali ne minimùm quidẽ assequimur: neque tu etiam satis ei fidere videris, cùm statim transeas ad aliud perfugium, dum inquis; *panacem sal dictum videri eo modo, quo centaureum dicitur fel terræ.* quam φανταςίαν pluribus confutare non debeo, tùm quoniã ipsius absurditas suapre vi manifestò se prodit, tùm etiam quia ipse quoque ingenuè, præter tuam consuetudinem, fateris panacis acrimoniam nihil commune habere cum acrimonia salis, cui rei addas licet, non esse panacem ea vi, ac facultate preditam, vt vehementis acrimoniæ nota possit insigniri, quæ plantis quartum θέρμης ordinem obtinentibus dumtaxat tribui solet, cuiusmodi non est panacea, teste Galeno: præterea non centaureum omne promiscuè *fel terre* fuit nuncupatum, sed illud tantùm, quod *lepton* appellari scribit Plinius; ac nescio, an illius exemplo debuerit potius vocari *salina*, siue *salsugo*, vnde

ἁλμυρὸν γειτόνημα, quàm *sal*, nam *fel* dicitur ab humore quopiam in corpore humano, quomodo ab eiusdem partibus viscera, sanguis, ossa terræ appellari scimus; cui nuncupationi rectius aliquantò *salina*, siue *salsugo* responderet; sed hoc neque affirmauerim, neque etiam valdè negauerim: cęterùm non inuitè retinuerim in verbis Seruij dictionem *Lucretium* pro tuo *Licinio*, & Gifanij *Lucilio*, vt alium quempiam Lucretiũ intelligamus diuersum ab eo, qui De rerum natura sex libros, qui extant, elegantissimè conscripsit: cuiusdam Lucretij meminit Varro de lingua Latina lib. 4. his verbis. *à qua bipartita diuisione Lucretius suorum vnius & viginti librorum initium fecit hoc.*

Aetheris, & terræ genitabile quęrere tempus.

nisi & hîc quoque *Lucilium* substituas, quod fermè censuit M. Vertrannius: mihi tamen placet vulgata lectio. Porrò mirum tibi videri non debet *panaceum* adiectiuè pronunciari, nam sic etiam efferri nouimus *Asiam*, vnde *myrtus Asia* apud Catullum, & *Asia palus*, *Asia prata*, *Asia Deiopeia* apud Virgilium; sic dicimus *trabes piceas*, quæ de picea arbore confectæ sunt; ac nescio, cur hîc ad Græcorum normam nos reuocare volueris, cùm de Latino vocabulo disputetur.

CAPVT XIIII. ET XV.

HABES ad solœcismum, quæ superius cap. 10. libri 5. à me dicta sunt; de barbarismo iure succenseas licet operis typographicis, quas nec ego excuso, tametsi non iniuria fortasse possem exemplo pro posito τῶ *adulare, munerare, mirare, amplectere, contemplare, eloquere, minitare, percontare* pro *adulari, munerari, mirari, amplecti, contemplari, eloqui, minitari, percontari*; atque aliorum huius generis plurimorum, quę hîc referre supersedeo, refert autem Nonius De contrariis generibus verborum, nam perspicuè mendum subest in illo verbo natum ex priore mea scriptura *pręterfluere*, quam deinde expunseram, propter illud *interfluere*, quod statim sequitur, aptato eius loco τῶ *preterlambere*, quo pacto loquitur Ammianus libro 17. *Hac Iulianus rei nouitate perculsus, & coniiciens quorsum erumperet, si iisdem transisset intactis, retento milite circumuallare disposuit Castellum oppidum, quod Mosa fluuius præterlambit*; culpa igitur librariorum factum est, vt illo pacto nũc in meis libris legatur, cùm aliter à me scriptum fuerit, quamquam malim nunc *præterfluere*, aut *pręterlabi*, quomodo hoc verbum, passiua inquam inclinatione, alibi quoque vsurpaui, cùm dixi libro 5. cap. 6. *Errore labuntur omnes ferè interpretes*, non *labunt*, atq; alibi etiam non vno in loco, illud enim semper mihi in memoria hæsit, quod à pędagogo etiamnum puer didiceram ex Horatio;

Labuntur altis interim ripis aquæ. sed volo hîc tibi latus fodere de tua, vt leuissimè dicam, ἀμηχανίᾳ, vt intelligas, quàm aptè conueniat τὸν ἀντίπαλον istiusmodi cauillis aggredi. Aristoteles lib. 2. Topic. cùm dixisset sophisticam esse rationem disputandi τὸ ἄγειν δ' εὐπορήσομεν ἐπιχειρημάτων, docens quomodo hoc fiat, inquit; τοῦτο δὲ ἔσαι ὅτε μὲν ἀναγκαῖον, ὅτε δὲ φαινόμενον ἀναγκαῖον. ὅτε δὲ οὔτε φαινόμενον, οὔτε ἀναγκαῖον: denique de non necessario, & nõ apparente loquẽs postremò addit. δεῖ δὲ εὐλαβεῖσθαι τὸν ἔσχατον τῶν ῥηθέντων τρόπων, παντελῶς γὰρ ἀπηρτημένος καὶ ἀλλότριος ἔοικεν εἶναι τῆς διαλεκτικῆς. Περὶ τοῦ τὴν ἡμίσειαν εἴληφεν, (ne hoc sciẽs prętermittã) non me quidem accusas, pędagoge, sed Hieronymum Volphium hominem Transalpinum, à quo tamen elegantiam sermonis, quam is non profitetur, frustrà quæsieris; istiusmodi lapsiones in vestro Perionio notari merentur, in Volphio nihil minus: & tamen vestrates Lexicographi ita probè conuerti nos docent. at quanta hæc res est præ tuis peccatis, quæ tàm frequenter admittis?

CAPVT XVI.

DIXERAT Tibullus hircum pecoris ducem esse, rationem quasi quamdam subdit, cur is meruerit esse dux pecoris, *auxerat,* inquit, *hircus oues,* hoc est, hæc prærogatiua hirco tribuitur, vt scilicet pecoris dux sit, quoniam eius tamquam pater sit, *duxq; paterque gregis,* inquit Ouidius; quę autem inepta tua ἐπεξήγησις *duxerat hircus oues?* certè si is fuerat dux pecoris, proculdubio oues duxerat, frustrà ergo de hac re lector admonetur, atqui non frustrà, & ociosè loqui consueuit Tibullus: Propertius autem aliter dixit Elegia de auaritia puellarũ.

Dux aries saturas ipse reduxit oues. neque verò nouitia scriptura est, quam tueor, nam ea reperitur in cunctis veteribus exemplaribus, ex quibus deinde in formis excusos libros dimanauit, de qua nil dicere præterea necesse habeo, cùm ea Scaligeri, hoc est Mineruæ calculo comprobetur. Altera tua diatriba pro comperto sumis id, de quo nunc disputatur, ais enim. *Cùm Tibullus dicat, atq; sentiat ducem ouium hircum fuisse*; vnde statim infers. *non opus erat de fætura agere.* at nos tibi non concedimus simpliciter, atque absolutè, quod tu tuo iure tibi arripuisti, videlicet ne in Dialectices præcepta committamus; isthoc enim pacto principium peteretur: dicamus ergo Tibullum sentire hircum fuisse ducem pecoris, propterea quod oues inierit, ex quo initu tityrus nasci consueuit, auctore Isidoro; hinc intelligis, arbitror, opus fuisse de fœtura agere. De tityro quod addis, iamdiù est, quòd vester Germanus Valens Guellius vir solidæ eruditionis, iudicij perspicacissimi, atq; iccircò tui dissimillimus in Paralipomenis ad primam Vir-

gilij

gilij Eclogam Eustathij verba adduxerat hæc,quibus rem istam nos do cuit. *τίτυρος ὁ σάτυρος παρὰ τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ Δωριεῦσι, ὅθεν καὶ τιτύρινος αὐλός*. sed ea nihil confert ad Tibulli versum magis adhuc aperien dum, atque illustrandum, nam quærere nos oportet, quomodo hircus oues auxisse dicatur, non de fistula, aut Satyro: id autem sciri potest ex Isidoro, quem adduxi, & ex Petronij Arbitri carmine hoc, quod nunc mihi in mentem venit.

Tityrus ex ouibus genitur, hircoq; parente.

aut *hircus* apud Tibullum sumitur pro ariete, quod fieri quandoque posse, alibi docui.

CAPVT XVII.

VERBA Seruij ita concepta sunt, vt meam potius, quàm tuam sententiam constituant, neque vlla subest causa, cur tibi potius, quàm mihi credatur de *assis tibiis*, imò verò vetus ille glossographus omnem tibi fidem detrahit, si verba ipsius diligenter expendas, quamquam in genere tibiarum assarum cum Seruio, cum Scaligero, tecum denique mihi conuenit, tantùm in loci Solini castigatione dissidium inter nos est, qua in re nugaris egregiè, nam quid affers tandem, quo nobis persuadeas *Vascas* illic, non *assas* legi debere? vetus glossarium tàm hercle peccauit hac in re, quàm tu in omnibus falli semper consue uisti, quascumque tractas: meum *Assa* pluribus innititur testimoniis, Festi, Pediani, Seruij, Varronis etiam, quem Nonius auctorem citat: tuum *vascas* fluxę fidei esse non diffiteberis, si vel tantillum pudoris tibi insit; quare frustrà laboras in eius notione pluribus explicanda, & potuisses vnico verbo reiicere nos ad Turnebi Aduersaria, vbi hæc vox eodem prorsus pacto declaratur; sed nimirum magistri iura tibi vsurpare voluisti in re, quam multò ante nos docuerat doctus ille vir: age tibicen, quando bibisti, refer ad labias tibias. Deinde ex tuo sensu no bis ingeris omnē symphoniam assam esse, cui cantus absit, hoc est, cui cantus non intermiscetur; conuersa vice, assam vocem esse, à qua absit symphonia, hoc est, cui tibiarum cantus intermistus non sit: quod qui dem ex tua officina prodiisse nil prorsus dubito, quoniam scilicet inscitiæ tuæ specimen non leue præbet, siquidem ostendit sumpsisse te symphoniam non pro *ὁμολογίᾳ ἐκ διαφερομένων*, quomodo eam definit Plato, sed *ἁπλῶς* pro tibiarum cantu, cùm tamen *ὁμολογία* illa non solùm in tibiis, siue cantu tibiarum, sed in humana quoque voce reperiatur: in huiusmodi inscitiæ foueas incidis, cùm sine ductu eruditorum virorum incedere conaris: quantò satius fuisset Iulij Cæsaris Scaligeri verba ad numerum te hîc nobis repræsentare? inquit autem ille in Historico.

ftorico. *Assam vocem veteres dixisse cantum sine tibia, aut cythara, aut lyra Varro auctor est.* & ante eum Budęus Annotationibus in Pādectas. *Hoc verò celeusma, quod & celeuma dicitur, in nauibus classiariis assa voce interdum, interdum tibia canebatur*; Quoniam alicubi superius Cecilium, & Andronicum eodem contextu cum Ennio nominaui, conclusisti tu ex tua Logica, putasse me illos duos heroicos poëtas fuisse, nunc ego eodem argumentationis genere efficio ex tuis verbis, vt Aristoxenus fuerit tibicen, ais enim. *Ecce tu Ismenias tibicen, aut Aristoxenus:* & reliqua: & tamen musicum fuisse iamdiù accepimus, tibiis ipsum canere sciuisse nemo prodit. Addam huic animaduersioni, quod lectorem ex tuis tetricis nugis reficiat. *Assa* est, qua canitur sine chori voce, hoc est mera, sola; hinc iactus in talis minimus lusoribus *Asso* nuncupatur, quasi vnicus, solus; ab eo prouerbium Italicum propagatum est, *Rimanere in asso*, & *trarre asso*, *ò diciotto*, quod veteres dicebant ἢ τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι. hic ego Hispanismum non venditabo, quod ἰδιωμα minimè didici: tu non bilinguis modò, sed trilinguis, & centilinguis apud ineruditam plebeculam istis ostentationibus plausum captas.

CAPVT XXII.

OMNINO quod respondeam, nihil habeo, nam tu prorsus nihil affers, quod explicationem meam vel tantillum modò conuellat, ipsissima verba, persolæ nugæ: tantùm tibi encomium canis Iosepho Scaligero supparasitans, à quo mirificè Horatij locum illustratum fuisse prædicas: paucis me expediam, tuum aliorum sententias confutandi genus imitatus, vt pares vices rependam. Inepta prorsus sunt, quæ de Orbe Horatiano, & si quæ sunt similia, illic effutiit bonus Scaliger, neq; quorsum illa ab eo adducta sint, in promptu est iudicare.

CAPVT XXIIII.

ISTI tuæ tàm longæ diatribæ ad vigesimum quartum caput meorum Locorum controuersorum satis, superque responsum esse arbitror iis rationibus, quæ ibi à me redditæ sunt; atque insuper difficultatem illic excitatam plurimùm augent Theophrasti verba, cùm is de Laserpitio loquitur, quocirca non committam, vt mihi iure obiici possit, quod verbosis, & fatuis obiici solet: tantùm admonebo te de sincera Plinij lectione ex meo sensu: scribo ego. *Multis iam annis ex ea terra non inuehitur:* tu mea verba recitas hunc in modum. *Multis iam annis in ea terra non inuehitur:* vide primùm, quàm diligenter paucula

cula hæc verba legeris tu, qui in aliorum vitiis tàm cernis acutè m, quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius: deinde nosce valde necessario tibicine Plinij scripturam me fulcire, quem ex ipsomet Plinio vtendum sumpsi, qui paulò post dicat. *Diuq; iam non aliud ad nos inuehitur laser, quàm quòd in Perside, aut Media, & Armenia nascitur largè, sed multò infra Cyrenaicum.* Ad Solinum venio. *Apud Cyrenenses preterea stirpe gignitur odoratis radicibus, virgulto herbido magis, quàm arbuto.* fœcundi errorum seges; duo barbarismi, falsa historia. *virgultum herbidum vocat* (inquis) *quod Græci* φρύγανον, *item arbutum, quod illi* θάμνον. Ergo, critice, laserpitium non est in genere virgultorum herbidorum? consule iconem ex tuo numo, rem ita se habere statim cognosces; ac Solinus dedita opera addidit *herbidum*, vt expressius stirpem illam nobis repræsentaret, nam φρύγανον non est vnius generis: hoc ipsum Aristoteles λάχανον appellauit, quod intellexit Solinus: In voce *arbutò* grāmatothetis vitium nō deprehendisti: at ego tibi significo scribi debere *arbusto*, quomodo cuncta Solini exemplaria præsegerunt, Isingriniana, Henricipetrana, reliqua, quotquot hactenus vidi, neque aliter locū hunc citat Turnebus Aduersarior. lib. 3. & Lambinus in Plauti Cōmentariis, vnde saltem *arbusteo* formari potest, aut etiam *arbustiuo*, quod rectum est, ni fallor; nàm de *arbuto* rem notissimam narras: verùm proculdubio proba est lectio *arbusto*, siue *arbustiuo*, si tu bona fide laserpitij iconem nobis repræsentasti ex nūmo, qui fuit Antonij Pisonis, prestat enim adiunctum illud, vt laserpitium non sit simile ferulę, feniculi, cicutæ, quæ & ipsa quoque in genere φρυγανῶν connumeratur, & quorum consimile facit laserpitium Leonardus Fuchsius. Admones deinde ἀδράχνην esse arbutum; rectè quidem, si τὸ ὅμοιον sit τὸ αὐτὸ, nam de adrachne sic prodit Plinius ex Theophrasto. *Adrachnen omnes ferè Græci portulacę nomine interpretantur, cùm illa sit herba, & andrachne vocetur, vnius literæ diuersitate: cęterùm adrachne est syluestris arbor, neque in planis nascens similis vnedoni, folio tantùm minore, & numquam decidente.* rursus alibi. *Inter vtraque genera sunt adrachne in Grecia, & vbique vnedo:* arbutum Græci vocant κόμαρον. *Radicem laserpitij*, subdis, *odoratam fuisse numquam legi, neque Theophrastus, qui de ea copiosè scribit, odoris meminit.* Laserpitium, siue ὀπὸν σιλφικὸν ab odore præcipuè commendari norunt omnes, is liquor colligitur ab radicibus, & caule, qua de causa alterum ῥίζαν, alterum καυλίαν appellari scribit Theophrastus De historia plantarum lib. 6. idem quoque tradit Dioscorides, & Galenus, ac totidem verbis Plinius libro 19. inquiens. *Succus duobus modis capiebatur, è radice, atque caule; & hęc duo erant nomina, rhizias, atque caulias; vilior ille, ac putrescens:* sic etiam Ioannes Tzetzes ... διττὸν ὀπὸν δὲ φέρει ...

Ex

Ex τῦ καυλῦ καυλίαν μὲν, ῥίζίαν δὲ ἐκ τῆς ῥίζης.
hinc ego factum puto, vt laserpitij radices odoratas esse dixerit Solinus; De vocibus *sirpe*, & *laserpitium*, quod subiicis, veterem cantionem repetis, nam multi anni sunt, cùm Hermolaus Barbarus eamdem ex Solino cecinerat prolato isto Plauti carmine ex Rudente, quare sciẽtes admones, & rem hîc minimè necessariam pluribus prosequeris eruditionis ostentandæ gratia; dona de tuo, si quid donas, nam id suo iure sibi vendicat Hermolaus. Denique crassum errorem Solini ad philologiam pertinentem castigas in historia ladani, quam is cum lasere confudit dicens. *Cuius è culmo exudat æstatis tempore pingue roscidum, idque pascentium hircorum inhæret barbulis:* ergo quod vnus scriptor omittit, ex alio suppleri non potest? audi quomodo hîc te obiurget Strabo. ἀνακτέον οὖν αὐτοὺς προφέροντας τὰ τοιαῦτα: ἐκ ταυτολογήσομεν τὸν λόγον, οἷον ἀπὸ τῶν ποταμῶν εἴ τις λέγοι τὰ μὴ ὀνομάζεσθαι, ἀγνοεῖσθαι ἤδη φήσομεν τὸν λόγον: tantum abest, vt isthæc tua deliria literarum monumentis mandare velim, vt egregiam laudem mihi partam esse credam, qui ea à te ridiculè nimis excogitata firmissimis rationibus confutauerim. In Synesij verborum Latina interpretatione tu putas vocem *comparatus* respicere emptionem, quæ de horto illo facta fuerit, velut cùm ait Cato. *Prædium cùm comparare cogitabis*: nec vides illic ea exprimi operam, ac diligentiam, quam Pylęmenus in illo suo horto excolendo impenderit; sic dixit Cicero *comparare conuiuium* pro instruere, & adornare: *hortus* igitur *magno studio comparatus* valet studiosè cultus. De ὄπισθεν in Strabonis contextu, quamquam habeo quippiam, quod contra dicere possem, propemodum adducor, vt tibi assentiar: de altero autem dubium non est, quin ea sit vera scriptura à verbo φθείρω, quod est *corrumpo*, *vasto*, *eruo*, ita sanè scriptum visitur in cunctis, quotquot extant, Strabonis exemplaribus, respondet enim ei, quod pręcessit ἐπελθόντων τῶν βαρβάρων, hoc qui non videt, cęcior est leberide; & tu ex his famam consectaris? Nisi tuum veteratorium ingenium probè nossem, facilè acquiescerem picturæ Iouis Ammonis, & laserpitij expressæ ex numismate Pisoniano, nũc, cùm tuę artes minimè latere me queant, subdubito interdũ de veritate facti, ac labor, vt credã, cõfinxisse te picturã istã ex Tzetzę verbis, siue Zenodoti de Cyrenęis loquẽtis, κὶ τῦ νομίσματος, ἀπὸ μὲν θατέρου Ἄμμωνα, ἀπὸ δὲ θατέρου Ἄμμωνα, ἀπὸ δὲ θατέρου σίλφιον ἐτύπωσαν. nã silphij plãta aliter oĩò describi videtur à Dioscoride, quã tu eam expresseris; quinimo Leonardus Fuchsius vir doctissimus, atq; harũ rerũ longè peritissimus, inq; herbaria facultate sanioris cerebri, quàm Iulius Cęsar Scaliger existimauerit, oppidò quã diuersam iconem à tua nobis repræsentauit; eiusdẽ plantæ formã ita expresit Ioãnes Tzetzes Chil. 7.

Ομοιος δὲ (loquitur de ſilphio) τῷ νάρθηκι καυλὸς ὁ τοῦ σιλφίου.
Οὗ φύλλον φασὶ μάσπετον, ὅμοιον ὂν σελίνῳ.

ſed & Iouem Ammonem imberbem pinxiſſe Villiomari commentum cenſeri debet, nuſquam enim alibi Iupiter adoleſcens exculptus viſitur, præterquam in numiſmate Panſæ, & in vno Valeriani, quod à tergo Iouem capræ inſidentem habet, quæ eſt capra Amaltheę; penes Grę cos Smicythus Iouem ἀγένειον in ſuis donariis poſuit, eumdemq; Bacchi forma expreſſit alicubi Polycletus auctore Pauſania; reliqui ferè omnes eumdem πωγωνίτην, ſiue γενειήτην dedicarunt. extant paſſim plures numi Iouis effigie inſigniti, veluti Iouis Elęi, Victoris, Seruatoris, ſiue Conſeruatoris, Vltoris, Oppugnatoris, Cuſtodis, aliorum præterea cognominum, in quibus omnibus promiſſa barba deus ille ſpectatur, atque hoc quidem corporis habitu ſemper fermè pingitur. Iouis Ammonis effigiem in Hadriani numiſmate quopia videre licet, ſed ea eſt prædita barba ſubcriſpa: apud Troglodytas Iupiter Ammon non eamdem effigiem habebat, quam vulgò diis artifices accommodauerunt: vmbilico maximè ſimilis erat, habitus ſmaragdo, & gemmis coagmentatus, vt ſcribit Q. Curtius: Aegyptij forma arietis eumdem effingebant; Arcades verò ſpecie Hermarum. Vidi ego duos Lyſimachi numos cum facie cornuta, cuiuſmodi fermè nobis exhibet Gulielmus Choul De antiqua religione Romanorum, vbi cauſam petit ab hiſtoria illius fortis viri, qui taurum Alexandro Magno ſacrificare volenti è vinculis elapſum ambabus manibus retinuerit, vnde factum fuerit, vt eius ſtatuis cornua apponerentur, quod Angelus quoque Politianus ex Appiano ſcriptum reliquit; ſed in omnibus Græcis libris id facinus Seleuco, non Lyſimacho attribuitur, illic enim cauſam quærens Apianus cognominis Νικάτορα, quo Seleucus appellabatur, poſtquam oſtendiſſet eorum opinionem ſibi non placere, qui nuncupationis illius originem à victoriis ab ipſo partis deriuarent, ſubdit: τῷ δὲ γὰρ ἀρέσκομαι μᾶλλον τὸ Νικάτορα κτεῖναι, καὶ τῷ σώματι ὄντι εὐρώστῳ τε καὶ μεγάλῳ, καὶ ταῦρον ἄγριον ἐν Ἀλεξάνδρου θυσίᾳ ποτὲ ἐκθορόντα τῶν δεσμῶν ὑποστάντι μόνῳ, καὶ ταῖς χερσὶ μόναις κατεργασμένῳ, προστιθέασιν ἐπὶ τοὺς ἀνδριάντας ἐπὶ τῷδε κέρατα. numi autem illi, quos olim inſpexi, ita alicubi erant vetuſtate eroſi, vt non facilè dignoſci poſſet arietis ne, an verò bouis cornua illic inſculpta eſſent, quamquam & Ioui Ammoni bouis quoque cornua tributa ſciam ex Ioſepho, qui hunc deum ita deſcribit, vt dicat ipſum virum fuiſſe mediæ ſtaturæ, neque ſenem, neque adoleſcentem, in fronte geſſiſſe duo cornua ſimilia cornibus bouinis, & barbam habuiſſe ſimilem barbę caninæ: abi igitur, & vrceolos pinge: ſed, vt verum ſit, quod tu quaſi conteſtatò affirmas, hoc ego πάρεργον pro tua mantiſſa tibi referre volui, vt ra-

tiones accepti,& expensi in tabulis parientur: illud insuper addo, barbam illam caninam, cuius meminit Iosephus eo in loco, similem fuisse barbæ leonis, de qua Martialis illud extat;

Barbam vellere mortuo leoni;

quod in prouerbium deinde abiit; sic Horatius dixit;

Vtq; lupi barbam variæ cùm dente colubræ

Abdiderint furtim terris? atque hoc iam superpondij loco tributum esse volo, vt sim prodigus transalpinum in modum.

CAPVT XXV.

AN tibi videor dissimulare Liuij contextus mendam à Glareano, & Sigonio primò fuisse animaduersam, cùm dico? *In his ego verbis mendum aliquod subesse numquam non sum veritus, propterea quod non satis cohærere iudicarem, quod dicitur, immoderata, infinita potestate, id quod etiam Glareano, & Sigonio difficultatem nonnullam peperit:* hæres, sudas, æstuas; deprehensus es in manifesto mendacio, neque elabi potes: sed rem ipsam aggrediamur. *Immoderata, infinita potestate.* legendum admonui, *In eos delata infinita potestate.* clamas non esse Latinum, *deferre potestatem, imperium, fasces in aliquem.* clames licet ad rauim, rumpas ilia, erit saltem Patauinum; hoc nobis sufficit: tu; qui omnes omnium nationum linguas optimè calles, & vel Chaldæam, Syriacam, Aethiopicam, Mexicanam, Iapanicam in numerato habes, huius locutionis exemplum inuenies in aliqua scheda, hoc præter te nemo præstare potest: doce nos hanc rem, logodædale, pro quo ego munere tibi interim demonstrabo, quare Liuius vocet *consulatum infinitam potestatem*; sed indicet M. Tullius, nam mihi fortasse non credes: hic igitur sic inquit Actione 4. in Verrem. *Postquam M. Antonij infinitum illud imperium senserant.* rursus actione 5. *Et hîc vtrùm mihi difficile est dicere, an his existimare, ita se in illo infinito imperio M. Antonium gessisse.* ἄπειρον, teste Aristotele, non solum de tempore dicitur, verùm etiam de magnitudine; modò Consulatus, si tempus ipsum respicias, finita potestas nuncupabitur, sic enim est apud Sallustium. *immutato more, annua imperia, binosq; imperatores sibi fecere.* si dominationis potestatem intuearis, infinita, atque immoderata iure ipsa appellabitur, fuit enim in lege vetere. *Regio imperio duo sunto, iiq; à iudicando, consulendo, Iudices, Consules appellantor;* probè igitur *infinita potestate* legetur penes Liuium, quomodo etiam Latinè, si non Grammaticè efferri tenendum est illud *in eos delata,* cùm præpositio *con,* & *de* in compositione mutuas sibi operas commodare nonnumquam soleant, itaque dixit Sallustius de Bello Iugurthino. *Albinus, Aulo fratre in castris*

pro Prætore relicto, Romam decessit: hoc est *concessit*; quemadmodum igitur Latinè diceremus *in eos collata infinita potestate, & in te conferri potestatem istam,* quod inquit Cicero de Catilina, ita *deferre potestatem in aliquem* haud absurdè vsurpari crediderim, quomodo ferè non dissimili ratione dicimus *imminere alicui, & in aliquem, imponere, incumbere,* atque alia huius generis plura, de quibus, si vacat, consule Laurentium Vallam lib. 1. Recriminationum in Barptolomęum Facium; sed & Muretum tuum te adire præstiterit eo capite Variarum Lectionum, vbi sermo cum Dario Bernardo habitus de stultitia quorũdam, qui se Ciceronianos vocant, recensetur, hinc, atque inde intelliges, tippula, quàm verè possis exclamare *acutè, rotundè*; nam illud *astutè* hîc quidem locum habere nõ potest, cùm nulla astutia vsus fuerim: auctores verò, vt scias, vtuntur aliquando forma aliqua loquendi rariore, neque crebrò ab aliis scriptoribus vsurpata, cuius tamen ratio reddi possit, quædam autem non planè nobis percepta esse in alieno sermone, ac multis iam seculis derelicto, mirari non debemus: interim tamen operęprecium est audire Ciceronis verba ex Oratione Pro lege Manilia, vnde sciri fermè potest, Latinè dici *deferre potestatem in aliquem*, nam ibi *deferre ad aliquem* vsurpatum reperitur. *Hoc breuissimè dicam* (inquit ille) *neminem vmquam tam impudentem fuisse, qui à Diis immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas Dij immortales ad Cn. Pompeium detulerunt.* pari constructione verbum *committere* vsurpauit Terentius ita loquens;

Numquam dices tàm commodè, vt tergum meum tuam in fidem committam. pro eo, quod esse deberet *tuæ fidei:* contra dixit Virgilius,

Hîc alij spolia occisis direpta Latinis
Coniiciunt igni. pro in ignem, quod notauit Macrobius. Transeo nunc ad tuam *εὐστοχίαν*: *Lege* (inquis) *meo periculo, nulla propemodum licentia immoderata vi, finita potestate*: non placet commentũ, ne videatur Tribunus isthoc pacto loquendo rem, quam maximè augere voluit, extenuare; quomodo autem factum nõ imminuat, si mentionem ingerat finitę potestatis? plurimùm igitur ipsius consilio officit ista tua castigatio; quocirca meritò reiici debet, & cum suo auctore in Morbonia relegari. Subiicis deinde expositionem obscurissimę vocis *immoderatus, ἄπειρος.* euoluisses Dictionaria, consuluisses Calepinum, vt is nunc vulgò circumfertur, planè intellexisses, nihil opus fuisse te in hac re tantopere laborare. *τὸ fusum* est *ὕψι*: etiam: ergo, *Vides sublime fusum immoderatum æthera* legi debet in M. Tullio? minimè: nam quid faciemus *τῷ sublime? sublime fusum* locutio est barbara; *sublime fusum*; Latina: verè prodigus fuisti, sed inanium verborum, non solidarum rerum.

ROBERTI

ROBERTI TITII BVRGENSIS

ASSERTIONIS LIBER NONVS.

CAPVT II.

VT perdoctè cuncta calles, nil te docto doctius; licet enim hisce verbis mihi affari te, Villiomare, qui tot, ac tàm bona nos docueris totis istis tuis diatribis; at cuiusmodi est, quod nunc nobis liberaliter impartiris? doctum, elegans, certum, omnibus deniq; numeris absolutum; audiamus igitur florem illibatum populi, Suadęq; medullam. *Omnis locus eminens conspectus locus ab eodem Liuio perpetuo epitheto dicitur, vt libro 30. Annibal*, & cætera: sed extra iocum, ain tu, laruate, Liuium designare his verbis *locum eminentem?* tuus quidem sermo nil aliud clamat, sed Liuius planum locũ intelligit, dicit enim Annibalem de tumulo illo descendisse, & locum inter ipsum tumulum, & Scipionis castra, quæ haud procul erant Nadagra vrbe, petiisse, vt cum Scipione colloqueretur: erat autem ille locus vndique conspicuus, ne quid insidiarum in eo lateret: fecit autem prudenter Liuius, qui de loci illius conspicuitate nos commonefaciendos esse duxit, nam id rei, de qua tunc agebatur, plurimùm conducebat, quod in verbis libri 10. aliter eueniebat, illic enim de tumulo, non de loco plano sermo erat: non est igitur locus Liuij alter alteri simillimus, neque alter alterum explicat, imò verò contraria subest in vtroq; ratio; siquidem ille de tumulo accipi debet, hic de planitie, ille arboribus consitus erat, hic vndiq; conspicuus, & prospectui patẽs, ne quid insidiarum vsquam lateret; neque alius itidem Liuij locus ex libro 32. quicquam eorum efficit, quæ velles, nam tumulus ille maximè conspectus vocatur respectu aliorum, qui non erant huiusmodi, plures enim in faucibus illis, quas Philippus occupauerat, huiusmodi tumulos fuisse indicant verba hęc. *quà abscissæ rupes erant, statio paucorum armatorũ tenebat, quæ minus tuta erãt, alia fossis, alia vallis, alia turribus muniebat*: at in loco libri decimi tumulus ille cum nullo alio comparatur, quocirca frustrà additur τὸ *conspectum*, cùm omnis tumulus per se conspectus sit; quòd si cum aliquo vllo pacto contenderetur, vtiq; procederet sermo, sic etiam ῥάχιν μετρίως ὑψηλὴν vocat Strabo: quod autem legitur

tur apud Salluſtium de bello Iugurthino, *Procedit in tumulum facillimum viſum inſidiantibus*. aliter dictum eſt: ergo legendum proculdubio *conſeptum*, vt intelligamus Papyrium non delegiſſe locum purum, ſed huiuſmodi potius, vt eius cohortes in promptu haberent, vnde ramos inciderent ad excitandum puluerem, cùm ij equorum caudis adalligati eſſent; neque etiam cohortes illę hoſti ſe conſpiciendas præbere debebant, ſed commiſſa iam pugna ſtatim ex abdito erumpere, ſeque oſtentare, & de improuiſo hoſtem aggredi: neque verò Papyrij conſilio conduxiſſet, ſi is cohortes maioris exercitus ſpeciem præbendi gratia in maximè conſpicuum locum collocaſſet, cùm videri vellet Cominium captum, & tunc milites ab illa expugnatione commodum adeſſe, ait enim, *Iam propè ad ſigna cędes peruenerat, cùm ex tranſuerſo puluis, velut ingentis agminis inceſſu motus apparuit*. & reliqua. quomodo autem affirmare potuiſſet Papyrius Cominium fuiſſe captum, & Nautius Romanos milites fallere, ſi ij iam multò antè cohortes illas in puro, patentiq; loco diſpoſitas conſpexiſſent? ingenioſum mehercule Papyrij ſtrategema commemorat Liuius; tu apertum cõſilium narras, quod non niſi ſtupidiſsimis imponere potuiſſet: ſi Latinè diceretur *conſpicere locum quempiam* pro explorare, &, an ab inſidiis tutus ſit, diligenter inueſtigare, nihil fortaſſe prohiberet, quominus *tumulum conſpectum* interpretaremur exploratum, & ab inſidiis vacuum repertum: ſed (vt dixi) *conſpicere locum* in huiuſmodi ſignificatione Latinum non puto, nam quod Plautus ait Milite glorioſo,

Sinite me prius proſpectare, ne vſpiam inſidiæ ſient.

aliter dictum apparet: Liuij igitur locus huic Apulei ſimilis eſt. *Iamq; apud frondoſum tumulum, ramoſumq; denſis tegminibus, vmbroſo pro ſpectu veſtigatorum, obſeptis campis, canis venationis indagini generoſę, mundatoq; cubili reſidentes inuaderent beſtias, mittuntur*. igitur optima ratione ſubſtituiſſe videri debeo *conſeptum*; intelligemuſq; à natura, vel ab hominibus: *conſeptum* (inquam) *arboribus*; nam ſæpius tale quippiam huic vocabulo addere ſcriptores conſueuerunt: Cicero tamen ſimpliciter *conſeptum agrum* dixit Dialogo de Senectute, intelligens nimirum agrum arboribus veſtitum, & ſeminibus conſitum, nam ſtatim ſubdit. *cùm autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines*, & cætera. ac paulò poſt *Atqui ego omnia iſta ſum dimenſus, mei ſunt ordines, mea deſcriptio, multę etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ*. Petrus Marſus docuit te *agrum conſeptum* eſſe concluſum; ſed vox παράδεισος, qua vtitur Xenophon de Adminiſtratione domeſtica, vbi illud Cyri, & Lyſandri factum commemorat, hanc rem neceſſariò non exprimit; & ſanè de arboribus, reliquiſque plantis loquebatur tunc Cyrus, non de ſæpe horti:

Catullus

Catullus quidem certè rem epithero apposito planam fecit inquiens,

Vt flos in septis secretus nascitur hortis.

conseptum igitur arboribus à natura, vel ab humano cultu accipere oportet: facit ad locutionem illam Sallustij locus hic de bello Iugurthino. *Erat in ea parte Numidię, quam Adherbal in diuisione possederat, flumen à meridie oriens nomine Muthul; à quo mons aberat fermè millia passuum xx. tractu pari, vastus ab natura, & ab humano cultu; sed ex eo medio quasi collis oriebatur in immensum pertingens, vestitus oleastro, ac myrtetis, aliisque generibus arborum, quæ humo arida, atque arenosa gignuntur:* qui non minus quoque rem ipsam illustrat iunctis illis alteris verbis, quæ non multò post consequuntur. *Primò dubius, quidnam insolita facies ostenderet (nam inter virgulta equi, Numideq; consederant, neque planè occultati humilitate arborum) & tamen quidnam esset, incerti, cùm natura loci, tùm dolo ipsi, atque signa militaria obscurati.* Quid huic tàm loquaciter litigioso dicas, aut facias?

CAPVT IIII.

PVRGATISSIMO tuo iudicio non satisfacit castigatio mea ad Ciceronis locum de *nepa* pro *lupa*; qua in re laudo consilium tuum à ratione profectum, nam id temerè non affirmas; *Ego fateor quidem* (inquis) *nepam esse ἀστερισμὸν: belluam esse nego: quare nondum ἐποχάσω, nisi fortè Cicero intellexerit immanem fuisse illum scorpium, vt propterea bellue nomine dignus fuerit.* istud ipsum intellexit Cicero, mi homo; iubeo te bono esse animo, rem ipsam acu tetigisti, noli amplius anhelare: Germanicus, siue quocumque alio nomine appellare libeat Arati interpretem de scorpio loquens ait. *Hic ob magnitudinem in duo domicilia partitur; etenim ad aliud tendunt brachia eius, ad aliud corpus, & cauda, & aculeus.* icircò Virgilius dixit Georgic. 1.

-ipse tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cœli iusta plus parte relinquit.

& Ouidius Metamorph. altero.

Sęuaq; circuitu curuantem brachia longo
Scorpion, atque aliter curuantem brachia cancrum.

Lucanus quoque libro 6.

Teq; senes Chiron, gelido qui sidere fulges,
Impetis Hęmonio maiorem scorpion arcu.

Præterea scorpius bellua fortasse dici potuit Græcorum exemplo, qui θηρία vocant venenata animalia ictu, & morsu necem inferentia.

CA-

CAPVT V.

SI quicquam demendum eſt ex verbis Alexandri, vocem ὕδωρ poſteriore loco poſitam auferri oportere ſtatuo; quamnis ne hanc quidem, ſi me audias; certè τὸ ποιεῖται ſuam ſedem optimè tuetur, nec vllo modo βαρβαρίζει, niſi veteres ſcriptores tua lingua ſemper loquentes facias, quod eruditi homines nequaquam ferent; quomodo enim procedet clauſula omni actione deſtituta propter abſentiam verbi, quod ipſe puritatis, atque elegantiæ obſernantiſsimus expunxiſti? an tibi de lingua Græca ſine teſte, ſine ratione aliquid affirmāti magis credemus, quàm Gazæ, quàm Politiano? Gaza quidem verba illa ſic Latinè reddidit. *Quam ob cauſam aqua, quæ feruida demiſſa in puteum eſt, frigidiſſima fiat?* tu eo doctior ad verbum ſic verti poſſe autumas. *Quare aqua, quæ feruefit, & in puteū demittitur, frigidiſſimam aquam facit:* ergo ποιεῖται eſt facit? perſuaſerat olim meus pędagogus indicatiuum modum huius verbi, cùm actionem ſignificat, ſic inclinari debere, ποιέω, ῶ, ποιέεις, εῖς, ποιέει, εῖ, facio, facis, facit; paſsiuum autem ſic; ποιέομαι, οῦμαι, ποιέῃ, ποιῇ, ποιέεται, ποιεῖται; ac deinde annis procedentibus legerā apud Nonium in *Iacitur*. *Nigidius commentatione grammatices lib. 19. id, quod dico, eſt huiuſmodi.* ποιεῖ *facit,* ποιεῖται *facitur:* ex qua differentia actiui, & paſsiui hactenus mihi viſus ſum percepiſſe Ariſtippi reſponſum, qui dixerit, ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι, hoc eſt, vt M. Tullius interpretatur, habeo Laida, non habeor: denique τὸ ποιητικὸν ἡ πρώτη αἰτία, τὸ πάσχον, τὸ ὑποκείμενον. nunc tu doces ποιεῖται ad verbum verti *facit*, vt ἔχομαι ſignificet *habeo*, macte iſta tua grammatica, Villiomare: In Plutarchi contextu nullum verbum deſit, tantùmq; abeſt, vt appoſitione τοῦ θερμαίνει eius ſententia conſtet, vt ea miris modis peruertatur, ſiquidem non quærit ibi Plutarchus de Alexandri problemate, ſed probare nititur primam frigoris cauſam non eſſe adſcribendam aquæ, ſed aëri, vtitur autem huiuſmodi argumentatione. Si quis ex puteo aquam hauriat, eamq; ſuſpenſa ſitula in puteum rurſum demittat, ita vt ſitula aquam non contingat, ſed in aëre pendeat, paulò poſt eam ipſam aquam aliquantò frigidiorem ſentiet, ſtatimq; ſubiicit. ᾧ μάλιστα δηλοῦται, τὸ μὴ τοῦ ὕδατος εἶναι τὴν πρώτην αἰτίαν τῆς ψυχρότητος, ἀλλὰ τοῦ ἀέρος: & quæ ſequuntur. hunc ego Plutarchi locum ob ſimilitudinem quamdam, quam cum Alexandri problemate gerit, illic adſcripſi, rectius fortaſſe facturus, ſi illum alterum ex. 6. Sympoſiac. appoſuiſſem, ad quem, quia is prolixior eſt, quàm vt integer illùc transferri debuerit, lectorem ſtudioſum reieciſſe ſufficere exiſtimaui.

CA-

CAPVT VI.

AIS me adducere exemplorum plaustra,quibus probo nihil æquè vulgare esse,ac rosam coronamentis addi,imò nullum coronamentum esse sine rosa : isthæc plaustra , Villiomare , non capiunt nisi Anacreontem,& Sapphonem, quos dũtaxat nominatim cito,reliquos in vniuersum nomino , vt de eis nulla ratio haberi debeat à te præsertim,qui alibi me indiligentię notas,quòd Symili nomen in quibusdam ipsius versibus citandis reticuerim : nunc idem reprehendis me perinde ac exemplorum plaustra adduxerim : alibi vitio mihi vertis , quòd non plures,quàm Plutarchum,& Dionysium, testes cito,Quo teneam vultus mutantem Protea nodo? statue,quęso,quot scriptores in quaq; re producere oporteat ; hoc primùm : venio nunc ad locum Plinij de rosa , de quo plura sanè dicere possum , si libeat , verùm, cùm habeam non leue pignus meæ sententiæ Hermolaum Barbarum, vt aliæ omnes rationes absint , minimè dubitandum amplius censeo , quin ea sit vera scriptura,quam ante me eruditus ille vir prodidit ; nempe non eisdem eadem sæpè in mentem veniunt ; nescio autem quomodo factum sit,vt Hermolaum non viderim , cùm illa scriberem ; is autem admonet legi oportere *nimius non minimus* ex Plinio superius . *Transiere* (inquit) *ad rosaria, eòq; luxuria processit,vt non esset gratia, nisi mero folio* . quis hoc teste causa cadere se posse vereatur ?

CAPVT VII.

NIHIL moueor ista tua declamatione,est enim frigidissima,atq; ità sanè, vt risum potius, quàm admirationem excitare valeat. De anticipationibus quæ scripsi, pertinent ad illustrandam mentem Ciceronis, vnde plana, atque aperta redditur notio verbi *enudare* , quo is vtitur eo in loco , & cuius notionem adeò ignorauit Canterus , vt de mendo fuerit suspicatus: sed non potest hæc res ad plenum percipi,nisi vniuersum illud caput ex Canteri Nouis lectionibus,meumq; ex Locis controuersis inspiciatur , ad vtrumque igitur lectorem studiosum reiicio , vt de hac tota controuersia certius statuere possit. Verbum *enudauit* optimè exprimit Ciceronis consilium eo in loco , nam valet *patefecit , aperuit* , hoc est , *docuit* ; an verò non docuit natura has prænotiones, cùm eas hominum animis ita inseuit, vt absq; vlla disciplina eæ statim percipi possent ? tu nescio quid persugij captas à proprietate vocabuli *enudare* , atque ais : *quomodo potuit* ἀπογυμνοῦν , *si antea non erant ? nam enudatio* περίπαξιν *notat , & intelligentias in animis nostris*

prius fuisse, quàm eas nobis natura enudaret. Erant quidem hæ intelligentiæ in naturæ mente, vel etiam ipsi naturæ cognitæ, eas porrò homi nibus eadem natura patefecit, ipsorumq; animis planas, atque apertas attribuit, hoc est ita inseuit, vt eas tamquam nudas, ac nulla veste obuo lutas cernere possemus, quod de virtutibus dici nequit, cùm eæ ita no bis ingenerentur, vt non statim perfectę sint, sed perpoliantur deinde *διὰ τῆς ἔθους*, vt ait Aristoteles; ergo *enudat* est aperit, patefacit, palàm spectandas proponit, quòd si hoc verbum foras abiiciatur, incomposita redditur Ciceronis ratio, non enim potest ἀπὸ κοινοῦ repeti *τὸ attribuit*, cùm manifestò tres clausulæ sint in illo sermone, quarũ vnaquęq; suo verbo definitur, hoc modo. *Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornauit, sed etiam sensus, tamquam satellites attribuit, ac nuncios: & rerum plurimarum obscuras, & necessarias intelligentias enudauit, quasi fundamenta quædam scientię; figuramq; corporis habilem, & aptam humano ingenio dedit.* nam nisi ita res se haberet, cur *τὸ dedit* subiecisset M. Tullius, & non *τὸ attribuit* illic quoq; ἀπὸ κοινοῦ repetiisset? hęc tu in crasso aëre natus haudquaquam percipis: & quam uis Ciceronianissimum te esse profitearis, Ciceronianę elocutionis filum non magis cognitum habes, quàm quod numquam vidisti, numquam didicisti: sed velim tamen accuratè dispicias, an saltem *enodat* illic scribi queat: sic dixit Accius Eurysace.

Tu autem quod quęro enoda, & qui sis explica.

CAPVT VIII.

NON disputamus modò de Terentij loco, quem Nannius ex Plutarcho primus explicauit, sed quærimus de scriptura Ciceronis in Oratione pro Archia; eam ego rectam esse censeo, quam pręseferunt vulgatæ omnes editiones *venustate*; nihilq; mutari oportere contendo, neque enim temerè est, quòd isthęc lectio in vulgus effluxit: illius autem vocis notionem docuerit me Nannius; quid hoc? furunculus es Nannij obseruationum: cur non Turnebi potius? vel cur non is etiam fucus, & fur nuncupatur, qui libro Aduersar. 22. cap. 8. idem obseruasse videri voluit nulla Petri Nannij, aut Marci Antonij Mureti mentione facta? non rete accipitri tenditur, neque miluio, qui malè faciunt nobis; illis, qui nihil faciunt, tenditur: quàm multa reperias à pluribus eodem modo tractata nulla priorum auctorum mentione habita, vel quia, cùm de veritate constat, nihil interest, vnde ea prodierit, vel quia in aliena persępè incidimus nolentes, atque ignorantes: sed missa hæc. *τὸ venustate* in Ciceronis verbis, vt absit vox *studiis* ab omnibus mẽbranis, referemus ad *τὸ amicorum*; nec vlla mora est in hac dictione, quo-

minus bonò ſenſu vox illa retineatur; eſt enim orationis ἀκολυθία. *Quem comprobari videtis tùm dignitate, tùm etiam venuſtate amicorum,* vel *amicorum ſtudiis, tùm dignitate, tùm etiam venuſtate.*

CAPVT X.

NE negà fuiſſe opus explicare, cùr *ſordidos natos* appellauerit Horatius illa Oda, nam cùm Acron, & Porphyrio veteres grammatici ad grauiorem pellentium inuidiam illo pacto fuiſſe locutum poëtam dicant, poſteriores interpretes Landinus, Mancinellus, alij etiam maiorum gentium ad paupertatem retulerunt, quin tu iſto ingenio, iſta eruditione præditus in parem, ac propè geminum errorem lapſus es, dum Martialis carmen citas hoc.

Sint licet infantis ſordidiora ſinu.

cuius carminis ſententia longè abeſt à mente Horatij, vt ego quidem interpretor, volo enim magis adhuc πάθος augeri illo ſermone, quomodo fecit Apuleius Metam. lib. 1. *At ego, vt eram, etiamnum humi proiectus, inanis, nudus, & frigidus, & lotio perlitus, quaſi recens vtero matris editus*; & quæ ſequuntur. Tertullianus De Carne Chriſti; *Horres vtiq; & infantem cum ſuis impedimentis profuſum vtiq;, & oblitum.* extat titulus libro 8. Codicis in hæc verba conceptus; *De infantibus expoſitis, liberis, & ſeruis, & de his, qui ſanguinolentos nutriendos acceperunt.* & in Codice Theodoſiano libro 5. *De his, qui ſanguinolentos emptos, vel nutriendos acceperunt.* vbi *ſanguinolenti* dicuntur recens nati; velut Conſtantinus ad Albinum ſcribens interpretatur: tu refers ad ſordes, quas infantes, dum mammam ſugunt, vel dum ipſis præmanſum in os ingeritur, eiectant, quò etiam pertinet illud Homeri Iliad. 1.

Πολλάκι μοὶ κατέδευσας ἐπὶ στήθεσσι χιτῶνα

Οἴνυ ἀποβλύζων ἐν νηπιέῃ ἀλεγεινῇ.

illud idem reſpexit Plautus Bacchidibus.

- ſi vnam peccauiſſem ſyllabam

Fieret corium tàm maculoſum, quàm eſt nutricis pallium.

necnon Arnobius lib. 2. *exugerent fellitantes mammas, proluuie linerent, & madidarent ſe ſua.* vnde *pædidos* vocamus, quaſi ſordidos, & obſoletos tracto vocabulo à Græco, quia παῖδες, id eſt pueri talis ſunt ætatis, vt à ſordibus neſciant abſtinere, auctore Feſto: verumtamen hæc alluſio non ita expreſsè conſtituit ante oculos, & quaſi in conſpectu ponit miſeriam illorum patrum, qui bona, fortunas, penates ipſos relinquere coguntur, vt illa altera, de qua præmnoui; ſic tamen ait Cornelius Tacitus lib. 1. *Incédebat muliebre, & miſerabile agmen, perfuga ducis vxor paruulum ſinu filium gerens, lamentantes circum amicorum coniuges,*

quæ simul trahebantur, nec minus tristes, quæ manebant. Henricus Stephanus hunc intellectum illis Horatij verbis tribuit. Ita parentes vrgentur ab illis, qui eos expellunt, vt ne ad sordes quidem natis abluendas otium esse possit.

CAPVT XI.

OSTENDEMVS tibi cisalpino homini, & in agro Veronensi, aut Patauino orto non solùm Etrusce, verumetiam Latinè dici *regere* pro *sustinere*, ac mitto iam D. Hieronymum, quem fortasse non Latinissimè locutum fuisse dices, mitto suspectos locos in bonis auctoribus, mitto illud Statij tamquam non certæ fidei.

Frena manu pariter, pariter regit arma, pedumq;

Remigio sustentat equum. quod simile est cuidam loco Taciti ex Agricola; & ad illud Cornelij Celsi me conuerto, de quo nemo sanus dubitat. *Qui nimio dolore regere caput non posset*, hoc est *sustinere*, vt alibi sæpè loquitur idem auctor: Tertullianus De Pallio: *Humerum velans exponit, vel includit, cetero quà in humerum adhæret, nihil circumfulcit, nihil circumstringit, nihil de tabularum fide laborat, facilè sese regit, facilè reficit; etiam cùm reponitur, nulli cippo in crastinum demandatur.* Tacitus Histor. lib. 1. *Sed & humido die, & soluto gelu neque conti, neque gladij, quos prælongos vtraq; manu regunt*. & reliqua; nisi si *regunt* hoc loco valet *dirigunt*, quod fermè crediderim. Manilius quoque, si per te ei liceret, ita loqui vellet illo versu.

Libratumq; regit diuerso cardine mundum. nunc, quoniam tu intercessisti, audimus *gerit* & hîc, & alibi, libri tamen omnes ita, vt proposui, concipiunt, sed tibi criticorum ocello non parere, nefas est. Prudentius de columna, ad quam Christus est flagellatus.

Perstat adhuc, templumq; regit veneranda columna. nam procul dubio τῷ *gerit* nullus locus hîc esse potest, neque enim dictum videri debet, vt illud Propertij;

Tu licet aspicias cœlum omne Atlanta gerentem.
sed vt illud Ouidij potius.

Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestæ. & Maronis illud;

-ætherios humero qui sustinet orbes. quomodo nec apud Plautum eidem locus esse potest in carmine, de quo nunc disputamus, ac multò minus τῷ *tegit*, nam si ita, vt tu iubes, legeretur, quæ isthæc esset loquendi forma? curue homines dicerenntur *terram tegere*, & non *premere* potius, *calcare*, aut quid tale, sicut Ouidius dixit?

Factaq; de viuo pressere cubilia saxo.

& *-durum calcauimus æquor.* profectò ignoras ὑπερβολῆς vim, ac naturam, ac, quibus in locis ea adhiberi debeat, non magis te-

nes,

nes, quàm quod numquam didicisti: hoc te docebit Seneca Agamenone inquiens,

Iliaca velis maria texerunt suis. & Octauia.

Ignota tantis classibus texit freta. sic ex nostris Franciscus Marius Molsa Elegia ad Cæsarem.

Tùm super his tumidi latè maris extat imago.

Cærula victrici marmora classe latent. vide quàm nullo ingenij acumine valeas: nolo tamen hic præterire Petri Victorij testimonium, quod ego grauissimum esse duco præsertim in disputatione de sermonis proprietate, atque elegantia: is autem in inscriptione capitis noni libri 18. Variarum Lectionum, sic ait. *Imagine vsum Ciceronem periodum longiorem dixisse tamquam crepidinem quamdam, sustinere, ac regere prolixam orationem;* ac deinde eo ipso capite. *nam suo, proprioq; nomine valere hoc verbum solum, ac fundamentum, quod ædificium sustineat, regatq;, certum est.* *sustinere*, & *regere* idem pollet, aliue: sed & Petrus Angelius poëta nostri æui præstantissimus, & cum veteribus illis proculdubio comparandus Epistola ad Henricum eum, qui nunc Galliæ dominatur, cùm ei Syriados poëma dedicaret, sic ait, adscribam autem plusculos versus, quoniam & lepidissimi sunt, & eadem opera res tota melius percipietur.

Ceu, cùm fortè sibi grandes dempsere cothurnos,
Subsedisse humiles vulgò ridemus Iberas,
Quas modò credidimus quasi quasdam à stirpe gigantum
Procero magnas incedere corporis auctu,
Cùm sint ancillæ similes, quę paruula vestem
Ponè regit, ne tracta solum per compita verrat.

& hîc etiam, vt vides, *regit* valet *sustinet*. sed & Cyneget. lib. 4. ibi.

Atque vtrinque manu iuuenum suspensa reguntur.

loquitur autem de retibus, quæ à piscantibus manu sustinentur.

CAPVT XII.

VIDE, Villiomare, ne furti crimen tibi verius obiici posit pro ista declaratiuncula, quam tantopere commendas; nam certum est eius auctorem fuisse Hadrianum Turnebum: tu aliquantùm tua logodędalia inuentum illud infuscare studuisti, ne agnosceretur; at nos te, quamquam huius doli egregius interdum artifex esse diceris, deprehendimus tamen, &, vt tuam audaciam cohiberemus, id omnibus testatum esse voluimus: ego longè diuersa tradidi ab eis, quæ Petrus Victorius annotauerat Var. Lect. lib. 25. cap. 11. vt cunctis videre in promptu est; nec habui necesse in isthęc tua excurrere, de quibus nos Tur-

nebus

nebus antea admonuerat, si, quod volui, feci, nulla subest causa, cur infesto linguæ aculeo in me inueharis. Verumtamen cogitanti mihi de sinceritate scripturæ illius epigrammatis, verius videtur scribi debere *animos*, vt intelligamus Serapim oratione, hoc est consolatione animos ægros curare consueuisse, quod faceret etiam Aristoteles, dum ipsos ad æquabilitatem traducere conatur ea philosophiæ parte, quæ ad mores pertinet, sic Anthiphon condidit *τέχνην ἀλυπίας*, vt refert Plutarchus in illius Oratoris vita: *ἐν Κορίνθῳ τε* (subdit ibi) *κατασκευασάμενος οἴκημάτι παρὰ τὴν ἀγορὰν, προέγραψεν, ὅτι δύναται τοὺς λυπουμένους διὰ λόγων θεραπεύειν: καὶ πυνθανόμενος τὰς αἰτίας, παρεμυθεῖτο τοὺς κάμνοντας.* quò respexit Petrus Bembus vir insignis eruditionis, iudicij incomparabilis, & in carminibus pangendis ingenij propè diuini, cùm cecinit.

Antifonte, che orando alto dolore
Ne' turbati sedar già promettesti.

est enim dolentis animi optimum remedium consolatio, vt ait Aeschylus; nota sunt illa vice prouerbij vulgò iactata.

Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.
Λόγος γὰρ ἐστι φάρμακον λύπης μόνος. &;
Ὁ λόγος ἰατρὸς τοῦ κατὰ ψυχὴν πάθους.

idem præstabat Helenæ poculum, de quo plura Homerus; atque hûc mentis oculos Varronem coniecisse arbitror, non ad precationes istas, quas somnias: tametsi ne, si isthoc quidem pacto locum illum accipiamus, legi poterit *animo*, sed *animos*, quibus videlicet medicinam facit Serapis. Porrò immortales tibi gratias agere deberem, propterea quòd docueris *Serapium* esse templum Serapidis, nisi si multò ante hoc ipsum ex Philippo Beroaldo didicissem, qui in Commentariis ad Vespasiani vitam à Suetonio descriptam sic ait ad verbum. *Aedes autem Serapidis eleganter dicitur Serapium, sicut templum Isidis, Isium, & in hoc significatu dictum est illud à Lampridio in vita Alexandri*, & quæ sequuntur, quod quoniam tua etiam admonitione dignum censuisti, cur non de eo tibi aurem vello, quod fortasse ignorasti, nam, si sciffes, vt es ambitiosus, & loquax, de eo certè non tacuisses? id est huiusmodi. *Minervium, Dianium, Aesculapium* pro templis Mineruæ, Dianæ, Aesculapio dicatis vsurparunt veteres; eademq; ratione *Flaminium* ædes Flaminis Dialis dixerunt, sic *Olympium* Iouis Olympij templum vocabant, cuius meminerunt Liuius, & Diodorus Siculus. at *Iunonium* (expergiscere somniculose) templum Iani fuit in regione fori Romani non longè à foro Boario intra portam Carmentalem, eius meminit Varro libro 4. De lingua Latina: tu putasses id fuisse templum Iunonis, is tuus est captus, ea iudicij vis in hoc genere literarum. De Serapio præterea videndus

dendus est insignis locus apud Ammianum Marcellinum, quẽ locum siquis à Calepino admonitus in Ammiani Alexãdro requirat, numquã inueniet, ac ne Alexander quidẽ ille toto Ammiani opere vsquam comparet, sed in Alexandriæ vrbis descriptione spectatur extremo vigesimo secundo libro. Quod quasi Victorium insimulans dixi, posterius Varronis carmen nullo modo breuius crus trahere præter legẽ dimensionis, corrigi debet, tamquam perperàm pronunciatum, siquidem illic Victorius perspicuè pentametrum intellexit, quem heroico vno pede minorem esse verissimè affirmauit, hoc enim sibi voluit eo sermone, à quo absunt verba *preter legem dimensionis*, quæ ipsum peccato altinem reddidissent: tu cuncta peruides, præterquam quę emendationis alicuius indigerent.

CAPVT XIII.

DOLET tibi, quòd Scaligerum aliquantò acrius, quàm fecerim hactenus, hîc pupugerim: nollem factum, sed ita est, qui in Politiano candorem desiderauit, iudicium in se quandoq; requiri molestè ferre non debebat: verumtamen rem ipsam aggrediamur: ais tu. *Atqui, si benè indico, neq; Politianum Scaliger sequutus est.* quàm benè iudices, hæc Scaligeri verba satis demonstrant. *Et crepidas lingere carbatinas] liquida scriptura omniũ veterum tàm scriptorũ, quàm formis excusorũ; cùm Politianus hæc videret contaminari, non passus est, & quæ videbatur erroris causa in ignoratione carbatinarum, id verbi, quid esset, explicauit:* & reliqua. deinde subiicis. *neque ea lectio, quam tu sequeris, est vetus, sed commentitia;* & cætera. & hîc meam fidem viri Galli testimonio facilè liberabo. Marcus Antonius Muretus inquit. *Quod Politianus legit crepidas carbatinas, multis de causis non placet, primùm quia est contra fidem veterum exemplarium:* sed quæ isthęc inconstantia tua *cercolipas non cercolipas?* nam in Festi castigationibus, cùm meum cõsilium de Catulli carmine nondum olfecisses, non inuitus retinebas vocem hanc dicens. *Catullus quoque harum simiarum mentionem fecit in epigrammate, & trepidas lingere cercolipas; quam enim apertus sensus, omnes vident; quid enim fœdius, quàm nates simię, presertim cercolipis?* nunc postquam eam mihi placere intellexisti, signa deseris, & transfugam te profiteri non dubitas causam quamdam commentus, cur ea tibi non satisfaciat: sed, vt hanc tuam ineptissimam diatribam penitus refellam, non me pigebit adscribere Marci Antonij Mureti verba ad illud idem Catulli carmen. *Quod autem* (inquit ille) *Politianus legit, crepidas carbatinas, multis de causis non placet; primùm, quia est contra fidem veterum exemplarium; deinde, quid habent commune crepidę carbatinæ cum*

ea parte

ea parte corporis, quę paulò ante nominata est? insulsum planè fuerit ista coniungere: itaq; doctissimi homines, cùm hanc, quam nos sequimur, scripturam approbassent, illam Politiani summo consensu repudiarunt: deinde quædam subnectit de Marullo, quę tu ad verbum ferè transtulisti: sed, quæ ex Ausonio testimonia citat illic Achilles Statius, huiusmodi sunt, vt hanc lectionem optimè corroborent; ergo verissimum est, quod ego olim scripsi, tuq; vanitatem tuam, vt semper aliàs, ita nunc manifestò prodis, nam quod de *Orione*, & *Oarione* addis, nimis quàm ridiculum est, nec, quid hîc tibi volueris cũ isthac re, satis queo intelligere, ea certè huic loco minimè quadrat; tu cuncta nullo delectu passim inculcas; prodigus es Transalpinum in modum; sed non erat hic locus. In Aristophanis verborum expositione egregiè hariolaris, dum disputas de mea sententia, quam non expressi; eam tu tamquam bonus vates interpretari voluisti dicens coniunxisse me τράγοι cum ἀπεψωλημένοι, propterea quod solœcismum esse putauerim τέκεα ἀπεψωλημένοι: nolo tua deliramenta fusius prosequi, nam dies me deficeret; venio ad ea, de quibus certi quippiam affirmare potes. ἀκρατιεῖσθε verti *extremitates lingite*, interpres *libidinamini*; quid aliud hîc dicam, quàm te veterem interpretem calumniari, propterea quod tecum nõ sentiat? sed calumnieris licet; auctor Lexici ab eo nihil discrepat, ait enim. *Aristophanes in Pluto τράγοι δ' ἀκρατιεῖσθε, id est ientaculum facietis, ἢ ἀκρατῆ πράξετε; nam hircus post coitum verenda sua lingere solet, vt sit λείξετε τὸ ἄκρον τοῦ αἰδοίου, vide Aristophanis interpretem, & Athenæum libro* 1. nec tu, licet tergiuerseris, hanc expositionem penitus reiicere audes, cũ ad versum exodiarium vtcumq; respicere comicũ illum cẽses

Hircus vetulus capris naturam ligurit. Lexicographus tamen dicit hircum post coitum verenda sua lingere solitum: porrò similitudo considerari debet in fœdo linctu tantùm, non in eo, quòd Vectius Catullianus aliena potius, quàm sua virilia lingere dignus esset, nam sua quidem qui potuisset? & alioqui, vt scribit Seruius, comparationes, parabolę, & exempla non semper vsquequaque congruunt; sed modò per omnia, modò per aliquam partem; quæ autem essent istę cercolipę Marcus Antonius Muretus nos docuit, nam tuus Scaliger illius dictionis vim non percepit in suis ad Festum Castigationibus, dùm nates simiæ interpretatur, neque enim de natibus intelligi debet, sed de obscœnis partibus virilibus ficto ex cauda, & pinguitudine vocabulo: illud porrò non sine maxima admiratione legi, quòd ais. *Pari insania, & impudentia negas carbatinas esse adiectiuum; imò, quod scias homo ineptissime, innumera calceamentorum nomina sunt adiectiua, eaq; gentilitia, vt plurimum.* vnde tu opicus magister effici vis *carbatinas* adiectiuè dici: quoties iterandum est, me isti tuæ Logicę nullo modo parem esse posse?

posse? multa calceamentorum nomina sunt adiectiua, ergò *carbatinæ* adiectiuè efferuntur: syllogismus ex mea Logica processisset, si ita ipsum concepisses: omnia calceamentorum nomina adiectiuè enunciantur; carbatinę est nomen calciamenti: ergo carbatinæ adiectiuè enunciantur: nullum auxilium reperiebas in Lexicis, confugisti ad simile, quod tamen non efficit id, quod velles, nam *καρβάτιναι* non sunt à Caribus eodem pacto, quo Λακωνικαὶ, Περσικαὶ, Ῥόδιακαὶ, Σκυθικαὶ, Ἀργεῖαι à gentibus illis deducuntur; sed à Caribus nomen sumpserunt, sicut *Liburnę* à Lybiis, vt putat Isidorus; *Cęremoniæ* ab oppido Cære, cuius adiectiuum est *Cæres*, & *Cæretanus*: nam cæteroqui Καρικαὶ dicerentur, non *καρβάτιναι*. Pollux inquit. ἀπὸ δὲ ἐθνῶν καὶ πόλεων λέγονται καὶ ἕτερα: καρβατίνη μὲν, ἀγροῖκον ὑπόδημα, κληθὲν ἀπὸ Καρῶν. quibus ex verbis non efficitur, quod tu vigilans somniasti: sed nec, cùm isthoc etiam pacto efferũtur vocabula illa, adiectiuorum potestatem obtinent, imò verò tamquam substantiua exaudiuntur; vnde ait Lucilius *-pedibus Sicyonia demit honesta,*
adiectiuum *honesta* substãtiuo *Sicyonia* iungens; eodẽ pacto Lucretius.

Vnguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

vbi *Sicyonia* substantiuè vsurpatur: Cicero tamen *calceos Sycionios* appellauit ab vrbe Sicyone, vt intelligas *Sicyonia* per se numquam adiectiuè enunciari, quomodo nec *Laconicæ*, *Persicę*, *Rhodiacę*, *Scythicæ*, *Argiuæ*, *Caricę*, *Gallicę*, atque huius generis alia efferuntur.

CAPVT XIIII.

RIDE mi puer, ride, noli amplius iratus esse, dabimus tibi sesamum, papaueremq; tritum, & frictas nuces; sed & calicem mulsi infringemus tibi, vt plorare desinas; cur enim his verbis te non compellem, Villiomare, quem morum leuitas, literarum imperitia, iudicij imbecillitas, linguę petulantia puero simillimum reddunt? licet autem huiusmodi sis, postquam tamen loqui cepi, aliquid addam, quod maturius iudicium requirat, id adeò horum librorum lectori dabo. De pãpauere trito non inficiaberis mea verba memoriam tibi refricasse, & quasi ad fontem illius emendationis digitum intendisse, nam tu tuo Marte nihil conficere, nihil conari, nisi quod infelicissimè cedat, consueuisti, & tamen, cuicumodi illud est, numquam euinces, vt id meo *strutheo* præferri debeat; ac sanè si Athenæum legisses, qua parte de bellariis, & tragematis loquitur, in tãm profusum risum non fuisses diffusus; verumtamen per me licet rideas vel Sardonium; Plautus certè me irrideri non sinet, qui dicat Persa.

Commiscę mulsum, struthea, coluthea.

De *lacertulis* an idem sint in Apuleio, quod in Plauto non antea consta bit, quàm statuatur quomodo apud vtrumque legi debeat, nam, vt nũc est, cùm verbo discrepent, sententia quoque eosdem discrepare fateri oportet; ac nisi tibi *lacertę*, & *lateres* idem valet, *lacertuli*, & *laterculi* nullo pacto idem pollere dicendum est. *lacertuli* sunt placentæ operis dulciarij in lacertæ, siue ea terrestris, siue pelagia sit, figuram concinnatę, *laterculos* vocant bellaria quadrata laterum effigiem referentia, conueniunt itaq; genere, distant specie, vel forma; vide nunc tu, qui *laterculos* mauis, qua tandem ratione impellaris, vt hanc potius, quàm illam alteram scripturam amplectaris. De *lucunculis* non aliter sentio, quàm quomodo sentiendum esse admonet Hadrianus Turnebus Aduers. lib. 18. cap. 20. eosque tunc demum *lucunteres* esse dicam, cùm diminutiua forma exaudientur; ita enim docet tuus Scaliger. Quomodo autem ignorauerim *frictas nuces* dici tostas, cùm id in linguæ Latinę thesauro ita explicetur in *frigo*, vbi locus ille ex Pœnulo nominatim producitur? sed & Ianus Dousa Pręcidaneorum pro Petronio Arbitro lib. 1. capite itidem primo nõ aliter de hac ipsa re loquitur, quàm vt per *frictas nuces*, coctas, seu tostas intelligat, noui, & scio; sed volui indicare probabilem meam coniecturam de illa re, quod feci modestissimè, vt opinor, dicens. *Denique per frictas nuces si quis mallet fractas, nihil fortasse peccaret, vt allusũ esset ad prouerbiũ, quo idẽ Comicus vtitur;*

Qui è nucleo nucem esse vult, frangit nucem.

Sed de his duabus postremis coniecturis nihil determino. addo nunc illius lectionis constituendę gratia *fractas nuces* posse vocari non modò quę è putamine eductæ sunt, verumetiam nucleos ipsos fresos, & in crassiores partes comminutos, quomodo *triticum fractum*, seu *fresum* dicimus, hoc est πυρὸν τρακτόν: placet mihi è re nata de eodem oleo, & atramento confirmare alteram lectionem, quam subindicaui *papaueremq; tritum*; Ouidius 4. Fastorum.

Nec pigeat tritum niueo cum lacte papauer
Sumere, & expressis mella liquata fauis.

Petronius tamen simpliciter dixit. *Omnia dicta, factaq; quasi papauere, & sesamo sparsa:* sed redeo ad ipsas nuces, quæ non minus, quàm amygdalę, torreri consueuerunt; itaq; nullam causam video, cur de amygdalis potius, quam de illis alteris nucibus intelligere volueris: hęc struthiocamelus respondet pithecio, & spinthurnicio.

CAPVT XVI.

ADEò præceps abriperis isto tuo animi æstu, ac linguæ volubilitate, vt non intelligas te quandoq; pugnantia loqui; quomodo enim

enim tibi constas, cùm ais? *Quid tibi velis, ne ipsa quidem Sybilla intelligat.* ac non multo post. *Tu nescio quo malo genio cum veritate manus conferis, dum Virgilium ais scribere,* & quæ sequuntur. Pactum non pactum est, non pactum pactum est, quod vobis libet: verumtamen audiamus oraculum tuum. *Quæ Suidas illum versiculum exponens adducit, inepta, ridicula, falsa sunt.* Quod huic prædicas vitium, id tibi est: ac disputes quantum vis contra veterem, optimumq; grammaticum, numquam efficies, vt non posſint esse vera, quæ ab eo illic tradita sũt; sed tu ipsius mentem minimè percepisti, qui verba hæc, τὴν δὲ αἰτίαν λέγουσιν, ὅτι γαλήνης οὔσης οὐ τολμᾷ προϊέναι: de reditione mergorum ad litus dici putasti errore non ferendo, cùm intelligat Suidas aues illas tranquillo mari progredi in altum non audere metu marinarum belluarum, quę tunc summa pelagi enatent, cùm tempestatem præsentientes demergant sese ad Oceani profundum gremium; hæc est genuina sententia verborum Suidæ, quę non fugit doctum virum Edoardum Vuottonium, is enim libro 7. de Differentiis animalium perspicuè mecum facit, vbi etiam illorum sententiæ meminit, qui *mergum* eumdem esse putant cum *ęthya:* ac volo etiam scias Latinos auctores nõ admodum religiosè versatos fuisse in reddendis propriis nominibus auium, sicut ex eodem Vuottonio cognosci potest; hinc quam ἐρωδιὸν Græci vocant, Plinius *ardeolam, mergum* Virgilius interpretatus est, & quæ ab Arato ὀλολυγὼν appellatur, Cicero *acredulam,* Auienus *vlulam,* Isidorus *lusciniam* vertit; vt neque tu, neque Hadrianus Turnebus Aduersar. lib. 25. cap. 13. satis tutò pronunciaueritis κέπφον esse *fulicam,* αἴθυιαν verò *mergum:* sic Plinius *caprum* piscẽ nominat, qui est Græcis κάπρος: præterquamquod de M. Tullio dici potest, ipsum adhuc admodum adolescentem Arati poëma in Latinum conuertisse: versus autem ille à Suida productus prouerbialem speciem obtinet in eum sensum, in quem dictum fuit ab Horatio,

Mala soluta nauis exit alite
Ferens olentem Meuium.

cui fermè contrarium est, quod ait Homerus.

φέρων ἄνεμός τε καὶ ὕδωρ.

sed huiusmodi sẽtẽtias ita prouerbiales esse concedo, vt nolim tamen eas in prouerbiorum Chiliadibus centuriari; quocirca tantum abest, vt hac de causa parœmiographum supinitatis postulare debuerim, vt ipsum potius insimulandum censeam, qui plures Homeri, atque aliorum poëtarum versus in illum ordinem retulerit: tibi fortasse ænigma videbitur *Prouerbium non Prouerbium;* sed citra ænigma Oedipo saltem dignum huius generis multa efferre consueuimus, γάμον ἄγαμον, νύμφην ἄνυμφον, παρθένον ἀπάρθενον, δῶρα ἄδωρα, βίον ἄβιω-

των, χάριν ἄχαριν, πότμον ἄποτμον, ac tu alter Oedipus longè obscuriora ænigmata interpretari potes.

CAPVT XVII.

Mirvm est te tàm insignem poëtam, quem etiam istis tuis libris epigrammate rudentem audiuimus, Vt rudit à scabra turpis asella mola, ignorasse figuram ὑπαλλαγήν, quam Seruius agnoscit cùm in aliis multis, tùm in hoc præsertim Maronis carmine;

-largoq; humectat flumine vultum.

notat etiam Charisius in illo Horatij.

Pelidæ stomachum cedere nescij.

sic etiam dixit Catullus; *--velut prati*

Vltimus flos prætereunte postquam

Tactus aratro est. quod alibi dixerat.

Vt flos in septis secretus nascitur hortis

Ignotus pecori, nullo contusus aratro. & reliqua. Virgilius sic.

Purpureus veluti cùm flos succisus aratro

Languescit moriens. hanc tu rem si cognitam habuisses, numquam te præcipitasses in tuam *ruinam*, siquidem percommodè te, quātus quantus es, mea *rima* cepisset, in quam basiatores penetrare posse non est visum ἀδύνατον Martiali, qui dixerit.

Rimas per omnes basiator intrabit.

verumtamen si tibi credi vis de tuo commento, produc saltem vnum testem siuè Græcè, siuè Latinè loquentem: nullum reperiebas exemplum in tuo Lexico peregrinæ notionis πτῶσις, sed tantùm illic extabat *πτῶσις idem quod πτῶμα, casus, ruina*; itaq; magnus λεπτολογιστὴς satis habuisti admonere nos antiquarium illum fabulatorem per *ruinā* locum præcipitem intellexisse, idque optimè tornato endecasyllabo conclusisti.

Antiquarius ille fabulator. in quo etiam obseruare licet Latinissimè dici *antiquarium fabulatorem*, tàm hercle eleganter, quàm in peroratione præclari istius operis *commentarium libellum* audimus. *ea* (inquis) *properanter nos huic commentario libello commendauimus:* quas sermonis lautitias de Iosepho Scaligero Iulij Cæsaris filio, Benedicti nepote, Nicolai pronepote, Vuilelmi abnepote, Bartholomęi canis adnepote didicisti, is enim suis Castigationibus in Catullum, *Prętereà* (inquit) *character solum menda propagauit, sed & antiquaria lectio.* neque non idem in Nouo opere de Emendatione temporum Francisci Aluarez *itinerarium librum* vocat, quem alij præcisè *itinerarium* appellare consueuerunt ex Laurentij Vallæ præceptione libro 2. Antidoti in Pogium:

gium: Iuuenalis quidem Satyr. 6. dixit,

Ignotosq; mihi tenet antiquaria versus.

& auctor Dialogi de Oratoribus, qui Tacito à nonnullis tribuitur, ab aliis Quintiliano; *Nec quemquam adeò antiquarium puto, vt Cœlium ex ea parte laudet, qua antiquus est.* sed tamen feramus vtrumque; hoc quidem Scaligeri, & Lipsij exemplo; illud verò M. Tullij, qui & ipse quoque endecasyllabum aliquando fuderit,

Successit tibi Lucius Metellus.

senarios quoque, & heroicos plures idem posuit non vno in loco: sed & integrum distichon (quod mirum profectò videri debet) in his Crassi verbis reperias libro 3. de Oratore. *Ac mihi quidem veteres illi maius quiddam animo*

Complexi, plus multò etiam vidisse videntur,

Quàm quantùm nostrorum ingeniorum acies

intueri potest; ne tamen propterea Ciceronis magnum te imitatorem esse credas, inq; hoc, præter cæteros, errore verseris, narro tibi similitudinem quærendam esse in rebus præstantioribus, non in deterioribus, neque imitãdos esse Alexandri Macedonis assentatores, qui, cùm ipsius virtutes effingere nequirent, ceruicis inflexum, & vocis in dicendo asperitatem æmulabantur; sic miles ille Terentianus

Idem (inquit) *hocce Pyrrhus factitauit.* ac multa sanè in Cicerone reperiuntur, quæ non sunt Ciceroniana, veluti Petrus Ramus homo Gallus nos docuit. Ostendi superius (tandem enim ad Apuleium me referam tamen) rectè dici *rimam κατὰ μάθησιν ἢ ταπείνωσιν ἀντὶ τῆ διασφαγῆς*, quæ scriptura, quoniam propius accedit ad vestigia vulgatæ lectionis *Romam*, iccircò à me libentius retinetur, quàm tuum *ruinam*, siue dictum sit pro loco *præcipitandi, & ruendi*, vt tu interpretaris, siue pro terrę hiatu, quod verius puto, sic enim Petronius Arbiter. *Ergo me non ruina terra potuit haurire? non iratum etiam innocentibus mare aufugi?* *Medicina* quidem est locus interdum, vbi medicina exercetur, Plautus Menęchmis.

Facite illic homo in medicinam ablatus sublimis fit. *voratrina* hiatus, locus voraginosus Ammiano; *aut chasmatię* (inquit) *qui grandiori motu patefactis subitò voratrinis terrarum partes absorbent*. sed de *ruina* exemplum adhuc non reperi; neque Ianus Dousa ad illum Petronij locum quicquam affert, quòd istam tuam notionem paululùm modò confirmet, quare adhuc controuersi iuris est: nouè quidem vsurpauit Papinius pro fragmine montis, cùm dixit Thebaid. lib. 2.

-dein toto sanguine nixus

Sustinet, immanem quęrens librare ruinam.

hoc tamen non est, quod tu velles: Iustus Lipsius emendat *ærumnam*,

antiquè

antiquè pro *grumnam*. *Mutare* non eſt *permutare*, itaque peccatum à me fuit in proprietate ſermonis,cùm dixi, *meam me cum Beroaldi coniectura nequaquam eſſe mutaturum:* oportuit enim me vti verbo *permutare:* exemplis agendum eſt. Plinius Iunior Epiſtola ad Fabatum libro 8.inquit. *Naſcantur modò, & hunc noſtrum dolorem gaudio mutent.* Plautus Captiuis, *Si quem reperire poſſet, cum quo mutet ſuum*

Illum captiuum. rurſus. *ſi queat*

Aliquem inuenire, ſuum quì cum mutet filium. Virgilius.

Chaoniam glandem mutauit ariſta. Hor. in Satyris;

Hic mutat merces ſurgente à ſole ad eum,quo Veſpertina tepet regio.

Salluſtius de Coniuratione. *Nemo, niſi victor, pace bellum mutauit.* & de Bello Iugurthino. *Lixę permiſti cum militibus diù noctúq; vagabantur,& palantes agros vaſtare,villas expugnare,pecoris, & mancipiorum prædas certatim agitare, eaq; mutare cum mercatoribus vino aducticio, & aliis talibus.* an his omnibus in locis *mutare* non valet *permutare*? non: quid in his alteris eiuſdem Salluſtij? *Sed Perſæ intra Oceanum magis, hiq; alueos nauium inuerſos pro tuguriis habuere, quia neque materia in agris, neque ab Hiſpanis emendi, aut mutuandi copia erat.* vbi ad oram codicum à Sebaſtiano Gryphio Lugduni editorum anno ſalutis 1546.huiuſmodi ſcholion viſitur. *In libris manuſcriptis legitur mutandi copia, vt mutandi dictum ſit pro permutandi:* ſed de hoc ipſo loco ita ſcribit Hadrianus Turnebus Aduerſar. lib.18. cap.7. *ego exemplaria ſequutus perantiqua mutandi lego, & ad permutationem rerum antiquis ſolitam, vel emptionem refero.* ibidem Salluſtius paulò poſt. *Nam freto diuiſi ab Hiſpania, mutare res inter ſe inſtituerant:* Victorius Variar. Lect. lib.7. cap. 14. ad illum eiuſdem hiſtorici locum. *Tamen non debere certa pro incertis mutare:* inquit; *vtroque autem modo locutos bonos auctores conſtat: vſoſq; verbo mutare, pro in commutatione ſumere, & pro relinquere,vt Horatius, cùm cecinit.* *Velox amœnum ſæpe Lucretilem*

Mutat Lyceo Faunus. & quæ ſequuntur: denique tu ipſe ἐκ τῶν Διὸς δέλτων ὁ μάρτυς, non aliter vteris hoc verbo diatriba 13.ad caput 13.lib.2.meorum Locor.controu.cùm ais. *Neque miror, ſi Horatij probam lectionem deteriore mutaſti.* vtique veriſsimum eſt, quod aiunt, mendacem memorem eſſe oportere.

CAPVT XIX.

EQVIDEM, vt maximè velim, non poſsim tibi commodè expedire notionem vocabuli *baſicum* in Petronio, non herclè magis, quàm τῦ σκινδαψός, καὶ βλίθυρι: niſi quòd præſagit animus quippiam ſignificari à βαπτίζειν deriuatum: ſunt & βαφὴ, βαφικὸν, βάψις Græ

eç voces, vnde, si quis altius fodiat, aliquid à Petronij sententia non ita alienum fortasse eruere poterit, sed huius rei fides sit penes Ioānem Sambucum, à quo hanc scripturam, donec aliqua melior nobis occurrat, mutuati sumus, idq; minimè obscuro sermone illic profitemur: Gulielmus Canterus ita emendauit. *Iam è basilico mater prçferebat facem:* ac *basilicum* interpretatus est, quam alij *basilicam* vocant, cui respondet Græcorum prytançum. tu *Embasicetas* diuinasti, postquam Ianus Dousa Petronij fragmenta inuulgauit, quæ, cùm ipse illa scriberem, nondum prodierant, mihi certè (sic me Deus amet) fuerant incognita: nihilominus tamen *Oëtas* animal est ex eo animalium genere, quod μεταφορικῶς à poetis vsurpari scimus phantasia quadam, veluti cùm dixit Virgilius, *-firmissima vina*

Tmolus & assurgit quibus, & rex ipse Phaneus.

item Horatius *-& amicus Aulon*

Fertili Baccho minimum Phalerno Inuidet vuis. sic etiam Papinius. *-imbelli recubant vbi litora somno.* & Simonides. κέλομαι, εὗδε βρέφος, εὑδέτω δὲ πόντος, εὑδέτω ἄμετρον κακόν. rectè igitur *Oëtas præferebat faces.* quemadmodum ille idem Papinius dixit

-totidem Oetçç, Paphiæq; reuisunt Lampades.

hæc sic in Petronij Satyrico accipi debent, O seri studiorum.

CAPVT XXI.

QVOMODO stabit magister, hic alter eiusdem poëtæ versus ex Turnebi castigatione?

Iniusta turpiter tibi conscribillent flagella. quomodo hic Ennij?

O domus Anci, quàm dispari domino dominaris:

quomodo hi omnes, quos infra ponam? Plauti.

Dij immortales, vt ego callos detruncabo tergoribus Terentij.

Et cyathos sorbillans paulatim hunc producam diem. Horatij.

Forma captiuæ dominum Tecmessç. Fannij.

Gamma vocant, nostri scriptulum dixere priores. Arbitri.

Et baccis redimita Daphne, tremuleq; cupressus.

& aliquanto interuallo post. *-atque vrbana Progne.* neque verò hanc licentiam Latini poëtç dumtaxat vsurparunt, verum etiam, ac multò sanè frequentius ea in Græcis inuenitur, quos nimirum Ἄρες Ἄρες decet sonare; vnde μόλυβος pro μόλυβδος, & βίτωνας pro βίστωνας repeties apud Oppianū, sic Homerus vel in primo Iliados carmine dixit, Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος. q̄d est imitatus Plautus Epidico,

At iam ante Achili fecerunt idem. tale est illud alterum Homeri;

Ἀλλ' ὅτε λέκτρον ἰὼν ἄκρον δάκτυλον καταδάκνω.

Hesiodus quoque in Scuto Herculis dixit,

Αὐτῇ γὰρ νυκτὶ τανυσφύρῳ Ἠλεκτρυώνης.
sed profectò ridiculus es, cùm putas ignorasse me, quid significet apud Tertullianum vox *semissarius*, nimirum non legeram apud Petrum Crinitum *stipitem dimidij assis* valere illic *breuem*, hoc est ἡμιποδιαῖον? apud Crinitum, inquam, de Honesta disciplina lib. 1. cap. 13. sed & Festi memineram, qui in *Trientem* scripserit. *qua consuetudine hodieq; vtimur, cùm lignum bes alterum dicimus, id est pedem, & bessem latitudinis habens; & sestertium, id est duos asses, & semissem tertium; item si tres asses sunt, & quartus quadrans*. Vocabuli ego deriuationē illic docere conabar, hoc modo: *semissarius* à semisse, *quadrantaria* à quadrante, *diobolares*, & *triobolares meretrices* ab obolo, quæ videlicet duobus, vel tribus obolis ducūtur, vt declarat Festus, & conuicij loco obijci sciri volebam, quod verissimū est. Cicero tamen lib. 5. ad Atticū Vatiniū *semissem* hominem appellat ab exiguo numo, sicut Persius *tressem* agasonē dixit Satyra 5.

CAPVT XXII.

VOs contenditis veterem omnium Plinianorum codicum lectionem esse *signinum*, non *cuminum*, id ego pernego probabili, ni fallor, ratione à consensu vulgatarum editionum petita: & sanè mihi exoritur nō leuis suspicio de vestro mendacio, cùm video de veteribus istis libris Hermolaum Barbarum, Sigismundum Gelenium, Beatum Rhenanum, Stephanum Aquęum, alios item omnes nihil hactenus olfecisse: vos nuper ex ruderibus nescio quibus exemplaria aliquot effodistis, in quibus exaratum sit *signini*; nouimus quid distent æra lupinis; non potestis nobis imponere istis vestris cōmentis: vetus omnium Plinianorum codicum lectio præsefert *cumini*, quomodo legi debere suadet alter Plinij locus illic à me citatus: sed tu tantus asinus intelligere non potes, quid cōmune habeat cuminum cum olusatro, siue hyposelino; ac Plinij verba non omnia fideliter hùc transfers parte illa deindustria prætermissa, quæ ignorantiam tuam expressius patefaceret. *Marga* vestra, quæ lętaminis vice fungitur, solum strangulare non pōt, pręsertim signini modo, nā κόπρος segetum luxuriam parit, signinum soli sterilitatem inducit, fit. n. ex testis tusis addita calce; vos Galli *cimentum* vocatis, vt docet Phylander Annotationibus ad Vitruuiū; at *marga* fimi loco adhibetur, & fit ex albis lapidibus putrefactis, quibus pingue humidū inest agrorū stercorationi accōmodatum, veluti Hieronymus Cardanus prodit de Rerum varietate lib. 1. cap. 4. vbi de locis, & regionibus agit; quocirca liquidò constat, pessimo cōsilio te hîc istius *margę* meminisse; velim autem consideres, an fortè illic apud Plinium *gummi* pro *cymini* rescribere pręstet; quod Aldo iuniori propemodum videtur; ego nihil determino, ne litem meam faciam.

ROBERTI TITII BVRGENSIS

ASSERTIONIS LIBER DECIMVS.

CAPVT I.

Reprehendis, quæ non intelligis, iure te Andabatarum more pugnare dixerim. Firmissimè asseueras grauitatem vmbræ iuniperi dici respectu odoris illius arboris: atqui odor nõ nocet frugibus? ergo de ipsa vmbra loquitur Virgilius: sic Plinius lib. 17. *Omnium ferè leuis vmbra, quorum pediculi longi; non fastidienda hæc quoque scientia, atque non in vltimis ponenda, quando quibusq; satis vmbra aut nutrix, aut nouerca.* vmbram enim ipsam iuniperi grauem appellat Maro, non vmbram iuniperi grauis, quem locum respiciens Hadrianus in Venatione dixit *-hunc tegit supinum*
Grauis iuniperi virentis vmbra.
Lucretius quoque *grauem vmbram* appellauerat libro 6.
Arboribus primùm certis grauis vmbra tributa est,
Vsque adeò capitis faciant vt sæpe dolores.
præterea suauitas, aut grauitas odoris, nihil confert ad suauitatem, aut grauitatem vmbræ; quare videris tu, quid tibi volueris hoc sermone. *At de grauitate vmbræ iuniperi non tibi constat: noli dubitare, nam & experientia te hoc docuerit, si libeat tentare, & ratio, si odorem consideraueris, quantumuis suauis, & amœnus tibi videatur.* denique sit, vt iubes; certè vmbra iuniperi non magis grauis est cantantibus, quàm in ea deambulantibus, aut considentibus, aut aliter moram trahentibus, itaque illud *cantantibus* nullum affert adiumentum Maronianæ sententiæ, quòd facit deinde vox *cunctantibus*, nã qui diutius sub iuniperi vmbra morantur, siue ab ipsa vmbra, siue ab illius arboris odore offendi consueuerunt, itaque eius vmbra *cunctantibus* grauis est, non ἁπλῶς *cantantibus*; neque huic meæ sententiæ quicquam officit, si quis poëtæ verba ἀλληγορικῶς ad Georgicorum poëma referre velit, vt τὸ *surgamus*, & reliqua, quæ ibi consequuntur, respiciant τὸ *Quid faciat lætas segetes*: ad idq; tacito quodã sensu referatur, siquidẽ nequit sensus ἀλληγορικὸς constitui, nisi prius simplex sententia procedat ex vi verborum: hoc autem dico ob Vgolini Martellij Episcopi Glandatensis præclaram con-

 iecturam,

iectuتam,quam facit de huius loci sententia; is enim peringeniosè, vt ipsius est mos, illius Eclogæ finem cum initio Georgicorum coniungit, quomodo Georgicorum finem cum principio Aeneidos copulari, & quasi conferrumiuari scimus illis carminibus.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena. & quæ sequuntur. coniungitur autem hoc pacto: *vmbrę*, hoc est poëmata pastoralia, *nocent cantantibus*, id est canere volentibus: sicut Propertius *subripuisse* dixit, pro subripere voluisse;

Cognitus Iphicli subripuisse boues. A *cantantibus* porrò dictum videtur ob illud *Arma, virumq; cano.* ac non modò simpliciter *omnes vmbrę*, id est omnia poëmata pastoralia, sed *iuniperi quoque vmbrę*, hoc est ea poëmata pastoralia, quæ aliquantò maioris delectationis, & grauitatis habere videntur, vt est Ecloga, cuius initium,

Sicelides Musę paulò maiora canamus.

nocent *frugibus*, hoc est scribere volentibus Georgica, quorũ initium,

Quid faciat lætas segetes: repetitur enim eadem res diuerso vocabulo *fruges, segetes.* idq; Orphęi exemplo factum videtur, qui Argonauticon principio omnia sua poemata breui enumeratione complexus est, sic alibi noster Latinus Orphęus,

Hæc nos formosum Corydon, & reliqua. verùm huic allegoricę sententiæ non minùs *cantantibus*, quàm *cunctantibus* quadrare iudico. De *oxycedro, & oleo cedrino* quæ deindę infarcis, cuncta ad verbum propemodum translata sunt ex Virgilij, & Matheoli Cõmentatijs in Dioscoridem, necnon ex Gulielmi Philandri Annotationibus ad Vitruuij caput nonum libri 2. de Architectura, ex quibus omnibus ægrè tãdem centonem istum suisti, nam quæ docti illi viri illic annotarunt, ea tu ex asse ista tua diatriba pro nouis, atque inauditis adduxisti; volo vti tuis verbis. *Post tantos viros quid noui affers, quod animos nostros à librorum eorum lectione ad tuos libros auocet; & traducat? quid ad scęnam affers,*

Decorem formæ, an dignitatem corporis?

Animi virtutem, an vocis iucundæ sonum?

veruntamen, quoniam tibi etiam vera prędicanti non credimus (hoc enim est mendacij præmium) audiamus Plinium ita loquẽtem lib. 16. *Cedri oleo peruncta materies nec tineam, nec cariem sentit; iunipero eadem virtus.* Hodie in Gallia cedrino oleo pecudum scabiem persicari ais: non curamus, quid hodie isthic fiat, ab antiquitate siquidem pendere malumus in his literarũ studiis; itaq; indico tibi Strabonis locum, qui olei istius vsum apud Gallos fuisse dicit in cõseruãdis capitibus illustriũ virorum. τὰς τῶν ἐνδόξων κεφαλὰς (inquit ille γεογραφ. lib. 4. de Gallis loquẽs) κεδρoῦντες ἐπεδείκνυον τοῖς ξένοις. huius facti rationẽ petere possumus à Dioscoride, qui dixerit περὶ κέδρου agens lib. 1. δυνάμιν

μιν ἔχει συνθήκην μὲν τῶν ἐμψύχων, φυλακτικὴν δὲ τῶν νεκρῶν σωμάτων: ὅθεν καὶ νεκρῶν ζωὴν τινες αὐτὴν ἐκάλεσαν. Petrus Victorius existimauit *cedrum* pro *iunipero* sumpsisse Maronem illo versu.

Robora nec cuneis, nec olentem scindere cedrum.

Dixi *iuniperum* plantam esse *humilem* simpliciter loquens, ad idque tantùm respiciens, quod frequentius esse consueuit, cæteroqui non ignoraui hìc in Thuscia proceras multas reperiri, velut in agro Senēsi, quod Andreas Matheolus testatum reliquit, & vastas in Hispania auctore Plinio. *raram* etiam plantam appellaui, non inuentu difficilem intelligens, velut ipse credidisti, sed raris, hoc est minutis foliis præditam: sint igitur isthic iuniperorum syluæ quantumlibet magnæ, in eis iuniperi spinas pro foliis habent, ni fallor, nisi si prodigiosas aliquas iuniperos nobis narras. *Alpestria* loca pro alpinis, & asperis vsurpaui D. Hieronymi auctoritate nixus, quæ si tibi delicatulo sordet, analogiam saltem contemnere non debes, ea docet à suis quæq; substantiuis adiectiua hæc deriuari: *syluestre, terrestre, campestre, agreste, rurestre, lauestre*, sic ex proportione ab *alpe*, præter *alpinum*, *alpestre* quoque deduci nihil prohibet; vnde dictum memini.

Alpestres scopulos, & litora Leucatæa.

Petrus Pitheius vir Gallus Aduersariorum subseciuorum lib. 2. cap. 5. explicans illud Sidonij ex Panegyrico Auito dicto;

-Rhetum Burgundio cogit. ita inquit. *Significat autem, quantum intelligo, Alpestrē Rhetum, qui Burgundioni proximus aliquando fuit:* cùm intelligat, quem Plinius, Tschudus, & alij *Alpinum* vocant: ac non modò illud Latinè dicimus, sed & *Alpicum* quoque inde formari scias velim, quod tu fortasse hactenus ignorasti; Aemilius Probus in Annibale inquit. *Alpicos conantes prohibere transitum concidit, loca patefecit, itinera muniit.* Porrò locum Virgilij suspectæ lectionis esse norunt omnes, nominatim Valerianus; quamquam quot locos in bonis auctoribus ipsi nuper leuibus quibusdam coniecturis ducti tentastis, de quorū sinceritate nulli hactenus dubitare contigit? in promptu sunt Lambinus, Muretus, Turnebus, Scaliger, Lipsius, Canterus, innumeri propemodum alij, quos hìc referre non est necesse, & alioqui me vocat illud tuum. *Item hoc præterea discemus, cunctari in vmbra esse id, quod Virgilius cessare in vmbra dixisset:* quod quid sit, nondum quiui diuinare, nā certè Maro ex mea castigatione ea phrasi minimè vtitur, sed vox *vmbra* illic est recti casus; *vmbra solet esse grauis cunctantibus*. In eo etiā, quod dixi *postremum carmen*, non intelligo quid reprehendas, neque enim adduci possum, vt credam, te adeò fatuum esse, vt carmen pro versu dici posse neges: *carmen* est tota Ecloga, *carmen* etiam est quilibet versus Eclogæ; *postremum* est vltimum carmen Eclogæ, *postremum*

est posterius illorum duorum carminum, nam hoc quoque nomen illud significare, alibi (ni fallor) demonstraui, & est legere apud Tacitum Annalium lib. 15. *Cuncta in maius extollens, admiratione prisci moris affecit: postremo die spatium orauit, quo tantum itineris aditurus, fratres antè, matremq; viseret:* necnon apud Macrobium Saturnaliorum lib. 3. cap. 4. *Virgilius tamen vtramquam rationem diligenter est exequutus: vt enim à postrema incipiamus:* & reliqua. intelligis, quid hinc sequatur, fœdissimum rei literariæ ostentum.

CAPVT II.

NIHIL nos doces hoc capite, & tamen perinde gloriaris, ac Strabonis interpretem iugulaueris: deme grammatolectis erratum, vana est exultatio tua: an nõ Iunonis turrim, seu templum agnoscunt omnes in illis angustiis, nominatim Ἀκρῆς? habes ex recentioribus Petrum Gyllium, Dominicum Nigrum, Ioannem Gulielmum Stuchium, alios item non paucos, qui id vno ore testantur: sed tu tantus asinus neque eos consuluisti, neque verò animaduertisti apud Strabonem legi debere Ἡροῦς: denique hesitationem tuam prodis, cùm tuum super hoc loco iudicium non explicas: ego existimo te in mente habuisse Herus turrim, de qua suauissimus poëta Musęus ita cecinit.

οὐδ᾽ ἀπότε χεῖθι περήσας,.

Δίζεό μοι τινὰ πύργον, ὅπῃ ποτὲ Σηστιὰς Ἡρὼ,

Ἵστατο λύχνον ἔχουσα, καὶ ἡγεμόνευε Λεάνδρῳ.

sed quoniam in literis cęcutis, ac παροράς, non es ausus vlterius progredi satis habens vnicum verbum de Strabonis interpretis errore in medium iacere; ego (vt vides) exitus vndique reperire noui: qui literarum imperiti sunt, hoc præstare nequeunt: voca nunc me rudem, stupidum, communis sensus expertem, & si quid præterea vis; non opus est verbis, quis sim, res ipsa loquitur.

CAPVT III.

QVAERIS quid conducat ad emendationem Catulliani carminis vox *Padoam* per quartam vocalem: dicam iterum. Aliquot vulgatæ illius poëtæ editiones præseferunt *Paduam*, quod pro vrbe Patauio Grammatici quidam accipiunt: hoc doctis viris, & Achilli Statio in primis non probatur, ac ne Scaligero quidem, vt optimè nosti; causam ego, cur illis probari non debuerit, exposui, si meministi: nunc substituamus *Padoam* ex Polybio, vtique cessat ratio, quæ illam alteram lectionem recipi non sinebat; sed tu, vt mihi semper aduerseris,

in Polybio

in Polybio mendum reperisti, de quo nemo quicquam hactenus suspicatus est: liceat mihi tua ratione vti. *Interea nos discemus rem inauditam, atque nulli hactenus cognitam, locum Polybij, qui ab eius excessu ad nostra tempora, mendo carere videbatur, ab Aristarcho nostri temporis Scaligiomaro & corruptum deprehensum esse, & emendatum fuisse.* bono iure tecum agimus, hæc tua sunt ipsissima verba: nunc sic ratiocinare, *Padua* pro Patauio inauditum est Catulli sæculo: *Padoa* vnum erat ex ostiis Padi, auctore Polybio: ergo annales Volusi porgentur ad ipsam Padoam, vt eorum chartis scombri inuoluantur: an simplici hac machinatione mendum Catulliani codicis expugnetur, aliorum iudicium facio, nam tu præ imperitia, ac liuore de his rebus nequaquam iudicare potes.

CAPVT IIII.

EGo Erasmum nullo modo contumeliosè accepisse iudicari debeo, propterea quod eius proprium nomen interdum reticuerim, neque enim ignotum esse potest, quid Conciliorum placita, summorumq; Pontificum decreta de illo statuerint: hanc tu contumeliam vocas? minimè verò; sed *omisit prouerbiolum:* omisit sanè; at id absq; illius viri famæ detrimento factum est, quamquam vetus adagiū, quod propemodum perierat, magna cum vtilitate studiosorum ab interitu quasi quodam vindicatur: & sanè in vtroque Marcum Antonium Muretum imitatus fuisse videri debeo, qui alicubi in libris Variarum Lectionum neque Erasmum nominare voluit, & prouerbia ab eo prętermissa sibi adnotanda esse duxit, idque non semel, sed iterum, atque sæpius, vt illic inspici potest. Prouerbium *Duos parietes de eadem fidelia dealbare,* si non ex Pausania, certè ex Suida, & M. Curio (memineris te hunc Q. Ciceronem appellare) notum erat, idque parœmiographum centuriasse constat Chiliade 1. cent. 7. estq; illic tertium in ordine, quod volui tibi significare, ne tę magnum quiddam fecisse arbitrareris, qui eamdem parœmiam apud Pausaniam reperiri nobis indicaueris. De *θυμιάμασιν* quod subiicis, verum esse fateor, idque Amasęum ignorasse vix crediderim, est enim vox notæ significationis, eamq; Dictionaria ista Græca disertè nobis explicant. sed voluit interpres *γενικῶς* reddere, quod particulatim expressum fuit: magnum sanè facinus perpetrasti, per quo triumphus tibi iure decernatur: ego interim lauream paro; sed quam? in mustaceis quæsitam.

CAPVT V.

ISTAS ego cariosas membranas parcè admodum, prudenterq; cito, ac tantum fidei ipsis tribuo, quantum tribuendum esse ratio suadet, quare, nisi aliud impedimento tibi est, quominus illius membranæ scripturam hoc loco recipias, quàm *cutatum*, quod *cutitum* esse deberet, per me licet ita legas, & Pisoni loquendi normam ex tuo sensu præfinias, nam, verum vt fatear, ipse quoque idem mihi permiseram, atque ita excudi iusseram, sed operæ istæ calcographicę mirum est, quàm impotenter ius, imperiumq; exerceant in munere suo efficiendo. Igitur, nisi stet per literam *a* in voce *cutatum*, non displicet tibi vetus lectio; sed iubeo deleri eam vocalem, ac tertiam ipsius loco substitui mãdo, vt sit *cutitum*, quomodo *vestitum*, *auritum*, *turritum* dicimus; valebitq;, vt dixi, ea vox *buona buccia*, vel boni, beneq; *compacti* corporis, *cutis* enim pro corpore quandoq; ponitur. Horatius;

In cute curanda plus ęquo operata iuuentus.

quomodo & *pellis*; idem. *Pelliculam curare iube.* contra *corpus* pro *cute*, sicut apud Græcos χρὼς ϗ χρῦς indistinctè vsurpantur; σάρξ quoque cutem aliquando significat, vt in psalmo. ἀπὸ φωνῆς τοῦ στεναγμοῦ μου, ἐκολλήθη τὸ ὀστοῦν μου τῇ σαρκί μου. vbi extrema macies designatur, sicut apud Comicum.

Ossa, atque cutis sum; misera, macritudine.

sic etiam inquit Lucretius lib. 6. *-pellis super ossibus vna.*
& Horatius in Palinodia ad Canidiam. *-verecundus color*
Reliquit ossa pelle amicta lurida. puella igitur *benè cutita* vocabitur, quæ corpore sit robusto, ac valido, sic Cicero *corporatum* dixit, & Varro boues *benè costatos* nuncupauit de re Rustica lib. secundo. Habeo quippiam in tuis verbis, quod tamquam perperam pronunciatum iure tibi obiicere possem; verùm hę reprehensiones, præterquam quòd putidiores sunt, quàm vt de eis vlla ratio à doctis viris haberi debeat, ostendunt animum reprehendentis magis ad contentionem, quàm ad veritatem inuestigandam esse comparatum; ego verò ita affectus sum, vt malim me victum esse cõfiteri, quã pertinaciter obluctari.

CAPVT VII.

NON efficitur omninò, vt quæ ferę capiuntur, ex statim occidantur, aut occisę esse intelligantur, nec mehercule consequens est, itaque ait Plinius de cocodrilis loquens. *Adulterant amylo, aut cimolia, sed maximè qui captos oryza tantùm pascunt.* & venationis genus mul

tiplex

tiplex est, etiam aprorum, nam laqueis, retibusq; intercipi eos solere docet Xenophon; & Cupidines apud Theocritum aprum vinciunt, & ad Venerem adducunt, vt pęnam de eo sumat ob interfectum Adonim. Martialis ad Licinium de Hispaniæ locis.

Ibi illigatas mollibus damas plagis
Iactabis, & vernos apros. nescio verò an Plinius iunior Epistola ad Tacitum lib. primo, vbi ait; *Ego Plinius ille, quem nosti, apros tres, & quidem pulcherrimos cepi*, intelligat simpliciter tres apros à se captos tantùm, an eos etiam occisos, certè, quod ibi sequitur, illud alterum magis suadet. *Erant in proximo* (inquit) *non venabulum, aut lancea, sed stylus, & pugillares*. ergo vocabulum asserere volui, quod rem illam magis exprimeret, magisq; proprium esset ad Horatij consilium ante oculos nobis constituendum, id efficit appositissimè verbum *coquere*, vnde *coctio* in pomis, hoc est maturitas, quæ φθορᾶς species est, vel ad eam certè proximè accedit, ἡ δὲ πέψις (inquit Plutarchus in Commentariolo, quem inscripsit αἰτίαι φυσικαί.) ἔοικεν εἶναι σῆψις, ὡς Ἐμπεδοκλῆς μαρτυρεῖ, λέγων,

Οἶνος ἀπὸ φλοιοῦ πέλεται, σαπὲν ἐν ξύλῳ ὕδωρ.

quocirca prudenter admodum *Austrum* appellauit *lenem* Horatius, vt φθορὰν excluderet; contrà inquit Satyra 2. libri 2. *at vos*
Pręsentes Austri coquite horum obsonia.
non enim πέψιν intelligebat, sed ipsam φθορὰν: hœdus lupi faucibus ereptus suauissimus habebatur ob teneritudinem, cuius effectus rationem ex Plutarcho petas licèt, συμποσιακῶν lib. 2. vbi etiam docet idem effici, si mortua de ficu suspendantur, atque hac etiam de causa Galli in venatibus sagittas elleboro tingebant, quòd iis ictæ exanimatæ ferę teneriores ad epulas fiant; aliam huius rei consequendæ cautionem docet Catius apud Flaccum in Satyris.

Si vespertinus subitò te oppresserit hospes,
Ne gallina malo responset dura palato,
Doctus eris viuam misto mersare falerno;
Hoc teneram faciet. hæc ἁπαλότης, siue teneritudo, & suauitas coctione paratur, cuius etiam efficiendæ modus est, si Austro flante animantes occidantur, quod Horatius certius, atque apertius expresserit, si ita vt monui, illic reponatur.

CAPVT VIII.

Τοῦ πατρὸς εἰς τὸ παιδίον: docuit te eruditionis columen Iulius Cęsar Scaliger lib. 1. de Causis linguæ Latinæ η in sui dimidium mutari in *e*, κρηπὶς, *crepida*, Ἥρως *Herus*; in se totam Πηνελόπη, *Penelope*;

Penelope; numquam autem *υ* in *i*, vt barbari inuertere, atque etiam corripuere in *Paraclitus*, *Eleison*, *Eleemosina*, *Iordanis*, neque, quod possenr suspicari, *Vestis* ab ἐσθὺς, sed ab *ue*, & ἔννυσθαι Græca origine, Latina terminatione; tuq; hoc præceptum tibi extorqueri non sinis, quamquam χηλὴ sit *chile* in antiquis Vitruuij membranis, & ἐμβρόντητος *Infrontitus* apud Senecam de Beneficiis: & *cimiterium* in quibusdam Ecclesiasticis scriptoribus ab eo, quod Græce est κοιμητήριον. sic Venus dicta est Acidalia, quod ἀκίδας habeat. verumtamen in Plinij codicibus scriptum esse potuit *vritiras* Latinis characteribus. quomodo apud eumdem *adipsos* inuenitur, cùm de palma Aegyptia loquitur, qua voce vtitur etiam Solinus eodem modo; & *probata* ἀντὶ τῦ πρόβατα lib. 7. vt quidam censent: sic apud D. Pauli interpretem *Facti sumus omnium peripsima* pro eo, quod Græcè est περίψημα, hoc est *puluis vestigiorum*; sic in vetustis Lucretij exemplaribus, & iis, quæ nuper Gyfanius publicauit, legas *melichrous, chariton mia, cataplexis, traulizi*, & alia eodem modo Latinis characteribus representata, sicque olim scriptum fuisse Dionysius quoque Lambinus in Lucretianis Commentariis disertè testatur: eodemq; modo illud *omiomeriam* exaratum se vidisse tradit. sed in vetustis quoque Gellij exẽplaribus Lucilij versus ita notati sunt, vt *atechnon, ochlirodes, che mirachiodes* perspicuè cõpareat, pro eo, quod esse deberet ἄτεχνον, ὀχλυρῶδες, καὶ μειρακιῶδες. Achillles quoque Statius in perueteri manuscripto Ciceronis codice *endelechian* exaratum fuisse affirmar; Pomponius dixit; *Aeges fermè aderant æquore in alto ratibus repentibus*; vbi *aeges* Græca vox Latinè scripta est pro αἶγες, hac est scopuli, atque ita hunc locum citat Varro. denique sit *vreteras*, si tibi ita videtur, nam illud alterum, *quot animalia renibus carent, preter aues?* tuam in literis diligentiam ostendit, qui non videris alias quoq; animantes illic à Plinio enumerari, quibus ea membra natura negauerit, air enim. *Apes nec venas, nec arterias habent, item serpentes, testudines, lacertæ, minimumq; sanguinis*. eadem ratione quæras licet ex Lactantio Firmiano, cur dixerit aues vsum vesicę non habere, cùm ea aliquot alia animalia carere constet. *Illa quoque ratio subtilissima est*, (inquir ille lib. 1. de Opificio Dei) *quòd vesica, cuius vsum volucres non habent, cùm sit ab intestinis separata, nec vllam habeat fistulam, qua ex illis ruinam trahat, completur tamen, & humore distenditur*. De castigatione *aues* pro *auibus* vehementius multò placere mihi cepi, postquam animaduerti idem sentire Hieronymum Mercurialem virum omnigena quadam, exquisitaq; eruditione, ac iudicio propè singulari præditum: is enim Variar. Lect. lib. 5. cap. 12. non aliter in Plinio legendum esse admonet, quàm ipse legi oportere monstraui, huius viri auctoritas potior omninò mihi est, quàm sexcenta tua

nugamenta

nugamenta ex mirabili, ac fermè diuina illa tua Logica deprompta, pręsertim cùm de veterum, grauissimorumq; scriptorum fama detrahere pergis.

CAPVT IX.

FATEOR me peccasse, & me culpam commeritum scio: nemo nostrûm non peccat; homines sumus, non dij: ἀλλ᾽ ἀκεςαι τοὶ φρένες ἐσθλῶν: antequam huic capiti finem imponā, egregio aliquo facinore quicquid peccati est, obliterare sum paratus, vt ruborē, quem inde contraxi, penitus dispellam, namq; ora literatorum intueri non priùs ausim, quàm tantum dedecus aboleuero, non sum enim contumax, & refractarius. Quæ de *Pontina palude* narras, vtiq; vera sunt; Festiq; insuper auctoritate comprobantur, qui dicat. *Pontina tribus à Pontia vrbe dicta, à qua & palus quoque Pontina appellata est iuxta Tarracinam.* Virgilius quoque, quà pertinet ad Vfentem flumen, de eadem sic ait,

Quà Satyræ iacet atra palus, gelidusq; per imas
Quærit iter valles, atque in mare conditur Vfens.

nec est, quod dubites de sinceritate scripturæ Strabonis in voce Αὔφιδος, nam pro ea fideiubet Raphael Volaterranus Cōmētariorum lib. 6. idque mihi facilius multò persuadetur, quàm lacum Plestinum dici, qui nunc *lago di Piediluco* nuncupatur: est autem hic Aufidus alius omninò ab eo, cuius meminit Virgilius Aen. 11. dicens,

Amnis, & Adriacas retrò fugit Aufidus vndas.

nam hic noster, de quo nunc loquimur, Tyrrhenum pelagus ingreditur, qui & alio nomine *Aufens* nuncupatur, quomodo fortasse apud Strabonem legere præstiterit, vt de Vfente ipso intelligatur, nam *Aufens*, & *Vfens* idem fluuius Dominico Nigro. λίμνη *lacus* est, atque ita semper verti debet, non *palus*; Πλεστίνη ergò λίμνη *Plestinus lacus* dici debuit; hæc tu, sed elegantioribus verbis, vt soles; nunc videamus nos, an quod tàm eleganter abs te dicitur, verè etiam dicatur: summa est. λίμνη semper *lacus*, nūquam *palus* verti debet. Propono primùm tibi consideranda Lexicographi verba, dum λίμνην *paludem, lacunam, stagnum* exponit; & λιμνοῦσθαι in *paludem, vel lacum abire*. Deinde scias velim Græcos poëtas *Oceanum* λίμνην frequenter appellare, quod Vergilius *stagnum* vertit *quàm magnus Orion*

Cùm pedes incessit medij per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet vndas.

& ante ipsum ita reddiderat Accius Eurysace

Super Oceani stagna alta patris terrarum infracta reuisam.

quid autem *lacus* à *stagno* differat, docent Iurisconsulti nō vno in loco. De *Mæotide* etiam quippiam aliquando inaudisti, arbitror; hanc Græci vocant λίμνην, quod etiam ad tuas aures fortasse peruenit, Latini porrò tùm *lacum*, tùm verò, idque multò sæpius, *paludem* nominant; nosti illud.

A sole exoriente supra Mæotis paludes
Nemo est, qui factis me æquiparare queat.

ergo λίμνη tàm *lacus* est, quàm *palus* ex hac nostra Logica; ac veteres quidem scriptores his duobus vocabulis promiscuè interdum vtūtur; Virgilius *-quando hic inferni ianua regis*
Dicitur, & tenebrosa palus Acheronte refuso.

ad quem locum sic notat Ioannes Antonius Meyerus. *Paludem pro lacu posuit, nam Auernum significat.* rursus idem poëta lib. 12.

Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.

& decem carminibus interiectis.

Tum verò exoritur clamor, ripęq; lacusq;
Responsant circa: Valerius quoque Catullus.
Verùm totius vt lacus, putidęq; paludis.

Ouidius. Metam. 6. *-ipsos etiam pedibusq;, manusq;*
Turbauere lacus. ac non multò post.
Et modò tota caua submergere membra palude.

Statius Syluarum lib. 1. de equo Maximo Domitiani.

Ipse loci custos, cuius sacrata vorago,
Famosusq; lacus nomen memorabile seruat.

loquitur de lacu Curtio in foro Romano, ac statim subijcit.
-nunc mea fęlix, *Nunc veneranda palus.*

de quo sic etiam reperias apud Liuium lib. primo. *Metius in paludem sese strepitu sequentium trepidante equo coniecit.* ac non multis lineis interiectis. *monimentum eius pugnæ, vbi primùm ex profunda emersus palude equum Curtius in vado statuit, Curtium lacum appellarunt.* Ammianus Marcellinus de lacu Brigantiæ. *Iamq; aditus* (Rhenus) *niuibus liquatis, ac solutis, altaq; diuortia riparum adradens lacum inuadit rotundum, & vastum, quem Brigantiam accola Rhetus appellat.* deinde. *Hanc ergo paludem spumosis strependo vorticibus amnis irrumpens, & vndarum quietem permeans, pigram, mediam velut finali intersecat libramento.* Elias Vinetus ad illud Ausonij;

Quà rapitur præceps Rhodanus genitore Lemano.

Ptolemęus (inquit) *in Galliæ Narbonensis descriptione* λίμνην Λιμένην, *vocat lacum, siue paludem Limenen.* Iustus Lipsius ad Taciti locum de Diana Limnetide ita commentatur. *Siue enim à Limnis vico (qui aliter Amyclę dictus) Messenię, siue* ἀπὸ τῆς λίμνης, *à palude, agnominata*

minata ea Dea, *certè Limnatis ſcribendum, ſiue Limnetis*. paulo poſt. *At à lacu deriuat clarè Pauſanias libro 4. & 6.* hic, vt vides, eruditiſsimi viri, & Græcarum literarum ſcientiſsimi λίμνην tàm paludem, quàm lacum interpretantur. ſed antequam aliò me conuertam, oſtendam paludes interdum naſci ad radices montium, quod tu negas. Plinius lib. 5. ſcribit ex Herodoto Scribonim lacum, ſeu paludem ad radices Caſij montis fuiſſe; ac ſanè quid magis naturæ conſentaneum eſt, quàm aquas è montibus elabi, atque emergere, ad eorumq; radices in locis planis conſiſtere, vnde lacus, & paludes exiſtunt? docet autem hoc Ariſtoteles (ſi fortè etiã auctorem requiris) μετεωρολ. lib. 1. dicẽs. *Διὸ ὅσοι αὐτῶν ῥέουσιν ἐξ ἑλῶν, τὰ ἕλη ὑπ' ὄρη κεῖσθαι συμβαίνει πάντα σχεδὸν, ἢ τόπους ὑψηλοὺς ἐκ προσαγωγῆς*. De Vtopia quod ſubdis, perſimile eſt aliarum tuarum ineptiarum: at ſaltem nobis rationem demonſtraſſes, cur ea verborum compoſitio probari non debeat; certè Thomas Morus plus Græcarum literarum ſomniando nouit, quàm tu legendo didiceris; illius vocabuli compoſitio adeò arriſit doctis viris, vt inſtar prouerbij id vſurpare non ſint veriti Alciatus, Robortellus, Modius veſtrâs homo Tranſalpinus in ſuis ad Sextum Frontinũ Annotationibus, vt interim Budæum mittam, Paludanum, cæteros, quibus tu matellam porrigere non mereris: ſed non te pudet, bellua, in hæc πάρεργα nihil prorſus ad rem pertinentia digredi, cùm de vera ſcriptura in Appiani codicibus diſputatur? Vis inſuper *Lacum Pleſtinum* fuiſſe, quem vulgò nuncupamus *Lago di Piè di Luco*: idque probas hoc veteris de Limitibus agrorum ſcriptoris teſtimonio. *ager, qui à fundo ſuo tertio, vel quarto vicino ſitus eſt, in iugeribus iure ordinario poſſidetur, ſicut eſt Interamna Paleſtina Piceni*. cuius alterum ſimile addis. *Teramne, Paleſtina Piceni*. atque vtrobiq; emendas *Pleſtina*: hinc ſtatim inſers Pleſtinum lacum dici, qui nunc *Lago di Pièdiluco* nuncupatur: macte tuo ingenio, Villiomare; nos contrà auerſis diis nati, qui iſthæc aſſequi nulla ope valemus; at quotuſquiſque tandem valeat, cùm nec vola, nec veſtigium ſententiæ illius auctoris appareat in illis verbis? primùm ex *Paleſtinæ* (nam *Paleſtinæ*, non *Paleſtina* illic ſcriptum extat) facis *Pleſtina*: qua ratione? quo auctore? ego nihil muto, quòd ſi error aliquis manet in ea voce, longè melius, meo iudicio, auferetur, ſi legatur *Peleſtinæ*, ſunt autem *Peleſtini* populi in Vmbria, quorum meminit Plinius libro 3. locus autem adhuc extat inter Iguuium, Spoletum, & Fulginium Pleſteia appellatus, vbi Piobigo vulgò oppidum, & chartariæ officinæ. Spartianus tamen in Seuero *Neapolitanos Paleſtinos* commemorat, de quibus nunc quærere mihi non vacat. deinde illud *Teramne* conuerti debet in *Interamne*, vt omnia tibi conſtent: ſed, vt hoc quoq; tibi concedamus, an iccircò vincis lacum *Pleſtinum* eſſe lacum

Velinum, siue, vt nunc loquimur, di *Pièdiluco?* minimè verò, nam auctor ille de oppido loquitur, non de lacu: sed loquatur de lacu, vt sic omnia tibi largiar, is tamen erit in Piceno, at Velinus est in Sabinis in agro Reatino; &, vt magis intelligas te rem incertã per certa nobis obtrudere voluisse, nec quicquam firmi, solidiq; habuisse, in quo insisteres, narro tibi Abrahamum Ortelium *Plestinum* lacum pro *Thrasimeno* habere; verumtamen non minus ipse hac in re longissimè à veritate ferrur, quàm ego, cùm illa scripsi, vt nihil prorsus habeat, quod mihi iure possit exprobrare, nam is in pari, ac nescio an etiam maiori errore versari deprehenditur, vt ex his, quę dixi, cõstare potest, neque enim Plestinus, ac Thrasimenus idem lacus, nec vllus auctor hoc vmquã tradidit, nec ego lacum *Plestinum* pro *Pontina* palude habui, sed illam in hanc scripturam connectendam esse dixi: hactenus expugnaui tuam inscitiam; nunc altero quasi pedatu accedam ad persanandum Appiani locum, quod superius me facturum esse recepi: dico igitur in Appiani codicibus Κεντρώνιον ἀντὶ τοῦ Κεντηνίον legi debere; testem laudo T. Liuium lib. 22. cuius etiam verba apponere libuit, vt res magis illustretur. *Priusquam satis certa consilia essent, repens alia nunciatur clades; quatuor millia equitum cum C. Centronio Propretore missa ad collegam à Seruilio Cos. in Vmbria, quò post pugnam ad Thrasimenum auditam auerterant iter, ab Annibale circumuenta.* non dubium est, quin de hac Centronij clade loquatur Appianus, post quam Populus Romanus Fabiũ Maximum Dictatorem creauit, sicut iidem Liuius, & Appianus ibidẽ mox recitant, addentes veluti ex composito Annibalem rectum ad vrbem iter minimè tenuisse, quæ res salutem Romanis peperit, & alia iuxta seriem historiæ: Centenij factum post Cannensem pugnam accidit, neque vllo modo cum eo, quod illic Appianus recenset, conuenire potest, longè enim diuersum est, vt ostendi, vnde Magium, & Lambinum parum vidisse constat, qui in suis ad Aemilium Probum Commentariis in vita Annibalis Centronium, & Centenium pro eodem acceperunt; nec quemquam mouere debet, quòd factum illud Centronij tùm quoad genus militum, tùm quoad eorum numerum, aliter à Liuio, aliter ab Appiano commemoretur, id enim neque nouum, neque inauditum lectori in historiæ cognitione diligenter versato videri debet: considera modò, an hoc benè coctum sit.

CAPVT X.

TYMPANO pugnas, non gladio, ἐρίζεις nimirum, haud ἐρείδεις, adeò nihil, nisi dementem inanium verborum strepitum fundistas: nos tamẽ, quamquam incomposito isto sonitu obsurduimus iam,

atque

atque audiendi ſenſum ferè amiſimus, tamen donec ingenij acies recta ſtabit, pugnā tecum non detrectabimus, ſed firmiſsimis viribus, infeſtiſſimis armis tecum congrediemur, vt intelligas, quàm non tutò Italum robur prouocaueris. Pertendis locum Suetonij deprauatum fuiſſe à meis popularibus, qui ex lectione manuſcripta *In minore codet a*, fecerint *In morem cochleę* abſurdo ſenſu, vt tu credis; ſed, ne erres, perſpicua ſententia eſt; gradus enim excauatos in morem cochleæ intelligit Suetonius, hoc eſt in cochleam retortos, vt loquitur Columella, plures videlicet præcinctiones cuneorum, quæ graduum vicem obtinent, vt facilior ſit deſcenſus, velut in columnis cochlidibus; ij cunei à ſummo ad imum ſēſim minuebātur more teſtæ cochlearum, qualia iuga quædam deſcribit Sidonius Apollinaris Epiſtola ad Elaphium lib. 4. *Nos tamen, Deo præuio, per tuorum montium latera confragoſa venientes, nec ſubiectas cautes, nec ſuperiectas niues expaueſcemus, quamuis iugorum profunda decliuitas aggere cochleatim fracto, ſæpè redeunda ſit.* niſi quòd cunei illi intus excauati erant, velut in fritillo, de quo ſic eſt apud Auſonium.

Alternis vicibus quos pręcipitante rotatu

Fundunt exciſi per caua buxa gradus.

aut verò, quod magis puto, nō de gradibus theatri loquitur Suetonius, ſed de lacu ipſo, qui aquam continebat; is autem in ſummo valdè patebat, in imum contrahebatur, nam fundum æquè patentem eſſe nihil opus fuit: quæ quidem res tàm plana, atque aperta eſt, vt cunctis aliquo ingenio prędiṫis facilè perſuaderi poſsit, non minus, quàm atras capras in Italia lac album habere, & mures in Gyaro inſula ferrum rodere, hîc verò molas lingere: ſed cur diſsimulanter præteriiſti argumentum de Cāpo Martio? Dio ſimpliciter hanc rem ita cōmemorat lib. 43. καὶ τέλος ναυμαχίαν, οὐκ ἐν τῇ θαλάττῃ, οὐδὲ ἐν λίμνῃ τινί, ἀλλ᾽ ἐν ἠπείρῳ ἐποίησε. χωρίον γάρ τι ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ κοιλάνας, ὕδωρ τε ἐς αὐτὸ ἐσῆκε, καὶ ναῦς ἐπήγαγεν. Suetonius eamdem ſub oculis nobis ſubiicere voluit, vt ipſam præſentes penè intueremur. Supereſt mihi alter labor de *equiſeto* herba: hāc cur virgulium appellauerit Solinus, duplicem cauſam reddidi: hîc tu nihil reſpondes, ſed tantùm Solinum ſimiam vocas; nos contra ſpinthurnicium te appellabimus, atque ita quæſtionis exitum tuo exemplo reperiemus. In Græcia porrò, Illyrio, & Macedonia equiſetum inueniri, non in Italia, falſum eſſe docent in multis aliis Marcellus Vigilius, & Andręas Matheolus, quorum ille ad Dioſcoridis caput, vbi de hac herba agitur, ſic inquit. *Nota omnibus plāta, & quæ nulla in foſſis propè aquas vmbroſis locis frequentius naſcitur.* rurſus in fine. *Vulgaris tamen deſcripta à Dioſcoride hoc loco herba eſt, omnibus locis cognita, & inuentu facillima.* Matheolus verò ita ſcriptum reliquit. *Hoc, quod rura noſtra vocant Paltruſalo in cibumq; aſſumunt*

munt ieiunij Quadragesimalis tempore. & quæ sequuntur. idem Fuchsius, idem omnes rei herbariç periti clamant; quare nihil opus fuit hanc herbam quærere in Græcia, Illyrio, siue Macedonia, cùm ea in Italia copiosè proueniat.

CAPVT XV.

EGO numquam magnopere laborabo, vt tu in bonis auctoribus aliquid intelligas, noui enim, quàm tardo, ac pingui ingenio sis præditus, *ἄλμεος, ἄτολμος, βεκκεσέληνος*, stultus, stolidus, fatuus, fungus, bardus, blenno, bucco; addamus aliud, si quod volumus, nil prorsus mentiemur. Varronis locus ex peruetusto illo exemplari optimè restituitur, vt omnibus eruditioribus notum esse spero, nam te, atq; alterum illum Burdonem nil prorsus moror, & curassem nihilominus omnem illius ædificij delineationem hîc appigendam, si diligentis alicuius cçlatoris copia mihi fuisset; sed res ita à Varrone explicatur, vt si quis attentè verba ipsius expendat, facillimè eius mentem, ac consilium sit percepturus. Non dixi *nauias* esse *calathos*, sed tunc à Varrone stabula anatium eo pacto vocari affirmaui, ob formæ videlicet similitudinem, quam nauiæ cum calathis habent, licet materia distent; quamuis non semper ipsi viminei erãt, vt tu tibi persuasisti, sed & æreos quoque quandoq; extitisse docet Seruius ad illud Maronis 3. Georgic.

--quod iam tenebris, & sole cadente
Sub lucem exportant calathis.

imò verò & ex ligno excauato fieri consueuisse auctor est Isidorus Originum lib. 19. *Calathum* (inquit) *leue gestamen ex ligno, vel canna, aut ex iunco factum, in quo vel pensa ponuntur, vel leguntur flores; κάλον enim Græcè lignum est, à quo deriuatum est calathum*. *nauiam* igitur iterum *calathum* voco, siue mauis lintrem, alueum, eronem, cophinum, *φορμὸν, κοῖχα, σκάφλω*; his enim omnibus vocabulis ob quamdam similitudinem, quæ inter vasa illa intercedebat, rectissimè nuncupari nihil prohibet; Si plusculum acuminis in te fuisset, hçc absq; mea admonitione intelligere potuisses, verùm abs te nihil aliud expectari debet.

CAPVT XVI.

NEC ego quidem agnosco, & si non aliunde, certè ex Dionysio Lambino, de cuius potissimum sententia tunc disputabam, scire potui dici debere *Syrenibus*, non *Syrenis*, ipse enim illic vocem hanc semel, atque iterum ea terminatione disertè vsurpauit; atque ita sanè impressum fuisset in meis codicibus, si ab operis typographicis impetrare

trare

ttare valuissem, vt meam scripturam ad fidem exemplaris representare vellent; nunc, cùm ipsis aliter exscribere visum fuerit, ego reprehendor: verè hîc vetus illud vsurpauerim, ὅ, τι ἂν τύχῃ μάγειρος ἀδικήσας, τὸν αὐλητὴν λαβεῖν πληγάς. quis vnquã ita totus ex odio, & inui dẽtia factus hoc cuiquã crimini dedit? ergo, (si meum peccatum, non scriptoris librarij esse pertendis denique) ex vna vocula per imprudentiam, atque incogitãtiam minus rectè pronunciata omnis mea eruditio periclitabitur? atenim scias velim nominum declinationes interdum variari solere, ita vt ablatiui casus, quorum terminatio ex Grammaticę preceptis esse deberet in *bus*, desinãt interdum in *is*, vnde *cestis* lectum est pro *cestibus*. Varro Vę victis, περὶ φιλονεικίας. *Pugilis spectatoris, qui miserum putatis vinci, quæro à vobis, si aduersarius supercilia mi cestis discobinarit, num quis vestrum sua mihi est daturus?* sic *fœtis* pro *fœtibus* dixit Accius Bacchis.

Vbi sanctus Cytheron frondet viridantibus fœtis.

& *specis* pro *specubus* Alcmęone. *Qui dij interdum inferam penitus depressum altis clausere specis.* *Inermis* pro *inermibus* Sallustius; *Nec quem quam decere, qui manus armauerit, ab inermis pedibus auxilium petere.* Cęsar de Bello Gallico lib. 3. *Santonis* pro *Santonibus* dixit: contrà *pannibus* pro *pannis* vsurpauit Pomponius Maccis Geminis, & *limibus oculis* Ammianus Marcellinus pro *limis*: at Propertius *Dryadis* extulit pro *Dryadibus* Elegia de Raptu Hylę.

Nympharum cupidas semper defende rapinas,
Non minor Ausoniis est amor in Dryadis.

aut etiam dicere possumus accusatiuum singularem in nominatiuum mutari, vt sit Syrena, sicut Tyndarida, æthera, Dryada: Iunius Philargyrius in extremo Commentario ad librum 4. Georgicorum: *Lutatius libro 4. dicit, Cumanos incolas à parentibus digressos, Parthenopem vrbem condidisse, dictam à Parthenope Syrena*; ex nostris eruditissimus vir Fabius Paulinus Hebdomadum lib. 4. cap. 4. sic inquit. *Martianus Capella pro Syrenis posuit Musas, vt supra etiam dictum est.* sed non defendo factum, tantùm ostendo defensionis modum, si quis hac via incedere in animum induxerit.

CAPVT XVII.

SI te cymbalum nominauero, nihil mentiar, nam quo magis apto naturæ tuæ vocabulo te compellem, Villiomare? vidimus hactenus abundè vanitatem tuam, nunc inanem verborum strepitum expressius audimus toto hoc capite, nimirum Burras, quisquilias, ineptiasq; & tamen inficiari non audes arundinem sæpibus obtendendis

quandoq; deseruire consueuisse: ego dixeram arundineta in hunc vsū comparari meorum oculorum fidem sequutus, nam ea res hîc in Etruria notissima est; re conuenimus, verbis discrepamus, quamquam ne verbis quidem, si satis mea caperes; ac per me licet, ex τῷ *aut sepibus obtendentis vsum præstare consueuisse* facias, *aut sepibus obtendendis materiam præstare consueuisse*; hoc pacto sermones amputabimus, quos tu odiosus rabula vel tantillam occasionem nactus, desinere non soles: *Characiæ* arundinis meminit Theophrastus, Dioscorides, & Plinius; eam vallarem dixeris, quòd vallis, septisq; muniendis idonea sit.

CAPVT XVIII.

POSTQVAM diù, multùmq; futiliter deblaterasti, tandem philosophicum illud ἐπέχω pronunciasti, ac multò quidem rectius famæ tuæ isthoc pacto consuluisti, quàm garrulitate, qua passim scatent istæ tuæ διαβολαῖς, licet incredibilis stupiditatis argumentū sit ἐπέχειν in re apertissima; Dij boni, quanta hæc est ἀμηχανία; νοσήσαντι æquè opus est κατακλίνεσθαι, ac νοσοῦντι, nam tua hæc scrupulosa differentia aut vera non est, aut hôc saltem loco minime attendi debet: νοσοῦντι ergo opus est κατακλίνεσθαι, ei nimirum, qui Turbonis animo præditus non est, at is ne œgrotans quidem decumbere visus est. Vespasianus Imperatorem stantem mori oportere dixit; intelligis hinc verbum κατακλίνεσθαι, aut aliquid simile in Xiphilini contextu desiderari. *etiam κατακλινόμενος, non κατακλίνεσθαι dicendum erat*. ego digitum ad fontem intendi, vnde haurires, nec putabam te adeò fungum esse, vt re propius admota, eam è manibus tibi elabi sineres: iterum dico, νοσήσας est œgrotans, tu vertis *morbo functus*, vt ei opus non fuerit domi considere: denique Xiphilini locum malè se habere fateris; sed qua parte is œgrotet, ignoras: ego probè scio te inopia iudicij vehementer laborare, cui nullo pacto mederi possum.

CAPVT XIX.

NARRO tibi, in Germania in exercitu T. Curtilij seruum militis peperisse: Phlegontis Tralliani verba sunt hęc in Commentariolo περὶ θαυμασίων καὶ μακροβίων: Ἐν Γερμανίᾳ ἐν τῷ στρατῷ τῶν Ῥωμαίων, ὅς ἦν ὑπὸ Τίτῳ Κυρτιλίῳ Μαγκίᾳ, τὸ αὐτὸ τοῦτο ἐγένετο, δοῦλος γὰρ στρατιώτου ἔτεκεν. sed extra iocum: sicut *parere* de hominibus dici quandoq; reperies, ita existimare debes non absimili ratione de eisdem *nubere* percommodè vsurpari posse: Homerus dixit ὃν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς. Sophocles in Trachiniis interprete M. Tul.

Quantùm

Quantùm vna vecors Oenei partu edita.

Cęcilius apud Nonium Calchis: *ait hic vicinus se eas peperisse vobis:* sic contrà *gignere* pro *parere*. Quintilianus. *Si adeò non genuit filium, sed effudit, & ex illo infelici partu ingratum vteri pondus exposuit.* In re propè gemina dixit Horatius *-viduus pharetra Risit Apollo:* & si id Seruius tamquam perperam pronunciatum damnat scrupulosa obseruatione, & quam refellit Virgilius in Cyri inquiens;

Cogor adire lacus viduos à lumine Phœbi.

necnon Ouidius lib. 1. de Arte amandi.

Cùm iuuit viduos rapta Sabina viros. Statius quoque lib. 10.

-subit ad vidui moderamina claui.

apud Græcos sanè quemadmodum mulier χήρα, ita vicissim vir dicitur χῆρος: Catullus *ianuam maritam* dixit illo carmine, vt quidem legitur in impressis libris. *Postquam est proiecto facta marita sene.* sed accedo propius ad rem nostram; ac mitto illud ex sacris literis, pro pretereaquod leuem omninò earum apud te auctoritatem esse video. *Neque nubent, neque nubentur.* item illud D. Hieronymi in libris Iudicum volens, sciensq; prætereo. *Socerum Sampsonis collocasse filiam vni de amicis Sampsonis, & pronubis.* nec Iustinianum testem produco, qui *binubum* vocauerit, qui bis duxit vxorem: nec Sidonium Apollinarem nomino, qui dixerit Epistola ad Ambrosium lib. 9. *Namq; & coniuges ipsi, quamquàm nupti, nuper iis moribus, ac verecundia agunt:* & quę sequuntur. Tertullianum quoque libens omitto eamdem ob causam, qui tamen sic ait, libro priore ad Vxorem: *Regem seculi Pontificem Maximum rursus nubere, nefas est.* & in Exhortatione ad castitatem. *Quę vox licet ad eos pertineat, qui sunt nupti, vel vidui, qui tamen nubendi licentiam amplectuntur, velim retractare,* & cętera. ibidem ex Leuitic. *Sacerdotes mei non plus nubent:* & alibi sæpe: quemadmodum etiam non vno in loco in libro de Monogamia, & aduersus Psychicos, & de Pudicitia, atq; alibi etiam eodē modo loquitur; hi oēs etenim barbarè locuti fuisse videri possunt, ac multò sanè inquinatius nostrates Iurisconsulti loquuntur, veluti cùm ait Carolus Ruinus Consilio (vt vocāt) 37. volumine 5. *Et quamuis loquatur, quando pater secundò nupsit post mortem filij, & in casu nostro antè, nihilominus quantum ad effectum, de quo agitur, non fit differentia inter vnum casum, & alterum.* Nescio an Statium quoque præterire debeam, tamquam non purissimo sermone vtentem, is autem ait Syluar. lib. 5.

Illa quidem nuptumq; prior, tędasq; marito

Passa alio. sed tamen & his, & aliis, quæ subiiciam, testimoniis, abundè me effecturum esse confido, vt non penitus barbarè locutus fuisse videar. Plautus Trinummi argumento.

-hunc deludit Echarmides
Senex, vt rediit, cuius nubunt liberi.
ad quem locum vidisti,opinor,Pij commentarios, isque tibi de hac relatus fodit, sed tàm sæpè occurrunt in bonis auctoribus hæc vocabula de maribus quoq; in bonam partem,& absq; conuitio vsurpata,vt vanam prorsus esse admonitionem illam fateri necesse habeas; dicimus enim *pronubum*, *innubum*, & *nuptos sermones*, seu *nupta verba* pro obscœnis. Laurentius Valla proprietatis Latini sermonis intelligentissimus, atq; obseruantissimus vel etiã Budęo teste,ad illud Diui Pauli ex Epistola ad Corinthios. *Dico autem non nuptis,& viduis,bonum est illis, si sic permaneant.* ita inquit. *Nuptis generis masculini est,etsi subintelligi quoque de fœminis possit: ne audiamus,qui hoc putant dici tantùm de fœminis, quæ viris carent:* auctor Lexici in voce γαμέω. *verbum ambiguum* (inquit) *significat enim & nubo viro, & duco vxorem, Festus Pompeius indicat Latinis olim nubere commune verbum fuisse, quemadmodum Gręcis, γαμεῖν.* quod hîc Lexicographus de Festo ait, μνημονικὸν ἁμάρτημα esse puto,nam apud illum Grammaticum,quantum quidem meminisse possum,nil tale vsquam legitur: Nonius is est,qui de Honestis,& nonè veterum dictis,ita habet. *Nubere veteres non solùm mulieres,sed etiã viros dicebant,ita vt nunc Itali dicunt:Pomponius Tannuceatis. Sed meus frater maior,postquam videt me inde eiectum domo,Nupsit posterius dotatę vetulæ varicosæ, afrę.* ergo maritos *nuptos*, cęlibes *innuptos* iure vocare potui:quid causæ est,ò nebulonum princeps, cur istam tuam exanguẽ, & ferream frontem perpetuis stigmatis non inscribamus?

CAPVT XX.

QVID, *si quid indico?* an tu de his literis iudicare vales,qui ne communi quidem sensu prædítus sis? stultior barbaro Potitio,& vsq; eò cæcus,vt,quò pertineant verba Senecæ, non perspexeris; atenim id ego magis adhuc tibi explicabo. Seruius putat *sancire fœdera fulmine*, esse fœdera firmare,ac sancta reddere, qua in re summa fulminis potestas elùcet, de huius autem viribus Senecæ verba præclarum testimonium ferunt, iis saltem, qui tui dissimiles fuerint, nam illud; *quicquid hoc portenditur,fixum est,nec alterius ostenti significatione minuitur,* sacro sanctas fulminis prædictiones non obscurè innuit; fœdera etenim fulmine sancita dicũtur,quæ fixa sunt, nec vllo alio ostento auerti queũt; eòdem etiam spectat Horatij locus à me citatus, valdèq; conducit ad Seruij mentem planius adhuc, atque expressius percipiendam,quemadmodum etiam non parum ad idem confert, quod scribit Festus in *Peremptalia*, in *Adtestata*, in *Manubię*, in *Postularia*. Cęterùm doce nos manifestius,quid tibi volueris,cùm ais. *Neque Horatij locus ad rem magis,*

magis, quàm Græca. quæ ſunt iſta Græca? an verba intelligis? an potius fulmina, vt ſint Græca fulmina, ſicut Luna Bononienſis? an fœdera? an verò tua mendacia? an quid aliud denique? amabo te, ſolue nobis iſtud œnigma.

CAPVT XXI.

GRATIAM mihi ſtudioſos harum literarum habituros ſat ſcio de plagio à me commiſſo, nam Auſonij carminis expoſitio adeò ieiunè à Brodęo tradita fuerat, vt ea alia adhuc expoſitione magnopere indigeret: ego rem totam pluribus illuſtraui, atque inſuper in horrorū Deum epigramma ſum interpretatus, in quo magnus ille Scaliger ſe digna quæſiuit, *bomerdam* ſcilicet, ac *ſtercus*, vt è ſcarabeorum genere ortus eſſe videri poſsit, adeò ſtercore delectatur; velim autem ſcias Auſonij carmen fuiſſe prius ad eamdem mentem ab Alciato lib. 10. cap. 11. Parergon iuris explicatum, vt Brodęi plagium agnoſcas.

CAPVT XXII.

ARGVTARE quantumlibet, ac tuis iſtis παλαίσμασι per ocium veritatem aggredere; mihi ſatis, ſuperq; eſt verbum *ningere* de aliis quandoque dici, quàm de Ioue, nam Giſanius caſtigationi ſuæ hoc προκάλυμμα obtendit; *malim pingere, nam ninguere Iupiter à Pindaro rectè, homines non item.* apud Anacreontem columba pluit, apud Sirenum caput ningit μεταφορικῶς ibi,

Cùm caput immenſa pexum porrigine ningit.

conſimilique ratione quidam milites *rorarij* dicebantur, quòd antequam coirent, in modum rorantis tempeſtatis dimicarent, auctore Feſto: ergo rectè legitur in codicibus Lucretianis.

-ninguntq; roſarum Floribus. quomodo fermè loquitur Claudianus de Nuptiis Honorij, & Mariæ.

Nec miles pluuię flores diſpergere ritu

Ceſſat, purpureoq; ducem perfundere nimbo.

ſic etiam dixit Pacuuius citante Nonio.

Sagittis, plumbo, & ſaxis grandinat, niuit.

ſed & Pindarus Ode 7. Iſthmiorum ait; ἡ Χρυσῷ μεσονύκτιον Νίφονδα δεξαμένα Τὸν φέρτατον θεῶν. &, quoniam licere puto noſtrorum poëtarum teſtimonia ad Latinorum ſcriptorum ſententias comprobandas, aut illuſtrandas quandoq; aſſumere, non omittam Bonaccurſij Montemagni verba ex quadam eius Etruſca Ode, vt Petrarcę carminibus in illo meo capite, vbi de hac re diſputo, à me citatis adiungi queant; ſicut autem poëta ille fuit Petrarcę ætate par,

ita eruditionis, atque elegantiæ ipsius æmulus extitisse dignoscitur; hæc autem ipsius sunt verba.

Dal bel guardo soaue par che fiocchi
Di dolce pioggia vn rugiadoso nembo,
Che le misere piaghe mie rinfresca. rursus alia cantilena.
Pioggia di rose dal bel viso pioue
Di questa pretiosa alma conserta.

columba Anacreontis (vt illuc redeam) πνέαν ψεκάζαν dicitur, quomodo ab Ouidio dictum scimus de Arte amandi.

Vinaq; cùm bibulas sparsere cupidinis alas,
Permanet. & capto stat grauis ille loco.
Ille quidem pennas velociter excutit vdas,
Sed tamen aspergi pectus amore nocet. sed volo de eadem opera, postquam hunc sermonem ingressus sum, Anacreontis locum Alexidis testimonio ex Εἰσοικιζομένῳ aliquantùm illustrare; neque verò hoc meum officium inutile, aut ingratum futurum spero politiorum literarum studiosis, ipsius igitur versus extant apud Athenęum in fragmento 15. libri δειπνοσοφιστῶν. adhunc modum.

Οὐ γὰρ ἐμύριζέτ' ἐξ ἀλαβάστρου πράγματι
Γινόμενον ἔθ' χρονικὸν, ἀλλὰ τέσσαρας
Περιστερὰς ἀφῆκεν ἀποβεβαμμένας
Εἰς οὐχὶ ταὐτὸν μὰ διὰ τὴν αὐτὴν μύρον,
Ἰδίῳ δ' ἑκάστην πετόμεναι δ' αὗται κύκλῳ
Ἔρραινον ἡμῶν θοιμάτια, τὰ στρώματα.

huius moris meminit etiam Dio Prusiensis, cui cognomen Chrysostomo ab eloquentia inditum fuit, nisi quod hirundines huic rei adhibiras esse dixit: Plinius quoque lib. 10. idem fermè Cecinam quempiam Volaterranum factitasse narrat alia tamen de causa, vt inde sciri potest: redeo nunc ad versum Lucretij, in quo quòd veterem scripturam vocas *pingunt*, illamq; alteram à Marullo excogitatam autumas, vehementer falleris, nam manu exaratæ membranæ disertè *ningunt* præseferũt, atque ita legit Dionysius Lambinus homo Gallus: inspexi etiam codices, in quibus extaret *vinciunt*, quod etiam agnoscit, atq; interpretatur Ioannes Baptista Pius. De *grumis* quod subiicis, quãquã ita vertit fidus ille interpres semiItalus, tamen ego scripseram *glomos*, vt sit translatio à lini, siue lanę globulis. Horatius.

Vt vinosa glomos furtiuę Pyrrbia lanę. hinc dictum est διδόντος χιόνα αὐτῷ ὡσεὶ ἔριον. & glomerare à Silio de niue loquente lib. 3.

Interdum aduerso glomeratas turbine Corus
In media ora niues fuscis agit horridus alis. quę de floccis quoque lanę intelligi possunt: vel *glomus* est aceruus, vnde Apuleius lib. 6.

com-

commixtisque aceruatim, confusisque in vnum glomulum. sed non sunt omnia ad viuum resecanda, & nihilominus νιφάδας χιόνος commodius aliquantò *grumos niuis* reddi arbitror, quàm *floccos*, vt ostendatur nimirum maior vis niuis; nam quod in Græco additur θαμειαὶ auget quidem significationem eius, quod antecessit νιφάδες χιόνος, atque ita non vno modo frequens niuis casus exprimitur, qui tamen in Latino sermone non comparet, nisi illo pacto conuertatur.

CAPVT XXIII.

RESPONDEBO tibi ὕστερον πρότερον Ὁμηρικῶς. Quęrendum esse diligentius non videtur, an prouerbij loco vsurpari debeat; quod ait Plautus *albo rete aliena oppugnant bona*; an potius sit λόγος ἐσχηματισμένος, cuius generis plures locutiones centuriauit parœmiographus ille, quem ego iure, meritòq; nominare vereor, ne in Sacrosancti Concilij Tridentini, Summorumq; Pontificum decreta volens, sciensq; committam, quorum tu auctoritatem non ita magni facere videris, adeò contemptim, ac quasi per ludibrium de ea re loqueris: sed hoc tu videris; mihi certum est, nihil quicquam dicere, ac ne cogitare quidem, quod non puram, sinceramq; religionem sapiat: quęrendum igitur diligentius non arbitror, prouerbium ne illud sit, an figuratus sermo, nam disputationis nostræ vis minimè hanc partem vrget, sed metaphoram ipsam respicit, de qua pauca quædam attingam, vt noscant omnes, quàm iniuria abs te bipede asello morsibus, & calcibus impetar. Pertendo ego allusum esse illo sermone ad rete piscatorium, quo pisces ita circumueniuntur, vt quasi obsideri, atque oppugnari videantur, nam sicut oppida, atque adeò homines ipsi, qui illis inclusi tenentur, aggeribus, vineis, turribus, cęteroq; bellico apparatu oppugnantur, ita feræ, ac pisces retibus circumueniuntur, quod est tam quam genus quoddam oppugnationis: sic dicimus *oppugnare, atque expugnare pudicitiam* illhinc similitudine ducta; & M. Tullius in Verrem actione tertia inquit. *O dij immortales quanta iste cupiditate, quibus allegationibus illam sibi legationem expugnauit*. Plautus Mostellaria.

Ita mea consilia vndiq; oppugnas mala.

eodem pacto dixit Terentius.

Tot me vndiq; circumuallant incommoda. & Demosthenes prima Philippica de Philippo rege loquens. καὶ κύκλῳ πανταχῇ, μέλλοντας ἡμᾶς καὶ καθημένους, περιστοιχίζεται. ac potuit sanè duplici translato vti Comicus ille, quomodo etiam fecit Lucretius, ibi.

Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ

nisi si *decusso* legere pręster, quod mihi fermè videtur; sed hoc per̃geruditi, & pquãingeniosi poëtę Catulli testimoniũ citrà cõtrouersiã fuerit.

Loquente

Loquente ſæpe ſibilium edidit coma.
in quo non duplex modò, ſed triplex etiam tranſlatum perſpicitur, ſic Minutius Fęlix in Octauio. *Dicam equidem, vt potero, pro viribus, & adnitendum tibi mecum eſt, vt conuitiorum amariſſimam labem verborum veracium lumine diluamus.* neque verò ſemper in metaphora perſiſtere neceſſe eſt, aut verbo proprio illius rei, quę metaphora deſignatur, adamuſsim reſpondere, quocirca legas apud Statium.

-& Icariis cęlum latratibus vrit,
hic loquendi modus valdè familiaris eſt Pindaro: probè igitur aliena bona oppugnare dicimur, cùm artificioſa aliqua ratione illa ipſa ad nos pertrahere conamur; eademq; impetimus, & tamquam obſidemus. *albo* autem addidit Plautus ob cauſam, quam illic expreſsi, nam piſcatores, qui vberiorem capturam facere cupiunt non adeò ſunt de retibus ſolliciti, vt ea fuco illinere velint, prætertim æſtate, quo tempore minus periculum imminet à putrefactione, quod ergo fęliciorem iactum promittit, prętare interdum piſcatores veriſimile eſt, ac propterea albis retibus ipſos quandoq; vti ſolere facilè poteſt exiſtimari, qũo iidem albas lineas adhibent eãdem ob cauſam, vt facilius (inquã) piſces fallant, nam, cùm lini color ſit aërens, & maris aquam propemodum referat, retia pura, ac nullo fuco illita à piſcibus minus multò dignoſcũtur, quàm ſi colore aliquo ſuperinducta fuerint, ſuperinducũtur tamen interdũ ab illis piſcatoribus, qui firmiora, & in longius tẽpus duratura retia parant, atq; hęc mea de Plauti loco ſententia eſt, quam Plutarchi verbis valde illis quidem ad rem pertinẽtibus, vt modò oſtendi, cõmuniui, ſed non dum in literis adeò promouiſti, vt hæc percipere valeas, quemadmodum etiã minime aſſequutus fuiſti Plutarchi conſiliũ in illis, μὴ βαφέντα, μὴ δὲ χρισθέντα μᾶλλον ἂν ἐλάνθανε τοὺς ἰχθῦς. quæ tu verba ad piſcatores retuliſti. nõ ad piſces, quod oportuit, ais n. *tùm etiam ne candor lini propter ſimilitudinẽ coloris maris oculos piſcãtium falleret:* an inficiaberis homo omnium mortalium profligatiſsime, & flagitioſiſsime omnẽ Plutarchi ſententiam te contaminaſſe, indigniſq; modis penitus accepiſſe? nega quantumuis, verba tua, ac res ipſa hoc manifeſtò clamant. De *manibus gypſatiſſimis* Medeæ tàm verum eſt tuum inſomniũ, quàm vnus aliquis apologus Aeſopi, aut αἴτια Καλλιμάχου; ſed percõmodè nobis accidit, vt meminerimus locorum, vnius ex Variis Lectionibus Petri Victorij, alterius ex Aduerſariis Hadriani Turnebi, vbi hæc res certius, atq; eruditius explicatur, nam abs te malè feriato Burdone nihil veri, nihil ſepoſiti expectari põt; tàm.n. ſapis, q̃ puer bimulus: neq; tamẽ ſtudioſum lectorẽ celauerim legendũ mihi videri *matribus*, non *manibus*, quomodo locutus eſt Virgilius Aen. 2. *aut Graiis ſeruitum matribus ibo.* ſed hac de re aliàs fortaſſe copioſius.

CA-

CAPVT XXV.

ADEò non pœnitet me Flauium Vopiſcum teſtem aduocaſſe ad vulgatam ſcripturã in M.Tullij Oratione pro Rabirio aſtruendam, vt libeat etiam eiuſdem verba adſcribere, quæ ad illam rem nonnihil pertinere iudicaui, ſunt autem hæc ex Firmo. *De huius diuitiis multa dicuntur; nam & vitreis quadraturis bitumine, aliiſq; medicamentis inſertis domum induxiſſe perhibetur, & tantum habuiſſe de chartis, vt publicè ſæpè diceret, exercitum ſe alere poſſe papyro, & glutino*. idem in Saturnino ita habet, cùm de Aegyptiis loquitur. *Genus eſt hominum ſeditioſiſſimum, iniurioſiſſimum, ciuitas opulenta, diues, fœcunda, in qua nemo viuat otioſus: alij vitrum conflant, ab aliis charta conficitur, omnes certè lymphiones cuiuſcumq; artis & videntur, & habentur*. Martialis porrò auctor huiuſmodi eſt, vt niſi inter primæ notæ ſcriptores, ſaltem non inter infimę iure, meritòq; connumerari debeat, atque horum duorum ſcriptorum auctoritate id, quod volui, teſtatiſsimum eſſe puto; neque tamen fugit me ab aliis quoque rem illam memoriæ proditam reperiri, ſed quod tandem reprehenſionis genus hoc eſſe dicam, quod calumniandi artificium? Quid ſit apud Ciceronem *Merces delatæ chartis, linteis, & vitro*, docebit te Hadrianus Turnebus Aduerſariorum libro 10.cap.23. vbi Ciceronis locum illum interpretans ait. *Dicit ductas in Aegyptum fuiſſe Puteolis, quod erat emporium Romanorum, viſas, & auditas merces, ſed fucoſas merces vitro, & linteis eſſe Puteolos delatas ad crimen pecuniæ diſſimulandum*. nunc, opinor, locutionem capis, quam vir Gallus explicauit, ſed noſter quoque Victorius hunc locum ita fuerat interpretatus: *materiam, ex qua chartæ confici ſolebant, in Nili ripis naſci ſolitam, paginaſq; ex Aegypto in alias terras cõportari, certum eſt; id enim quoque videtur ſignificaſſe Cicero pro C. Rabirio, cùm inquit. Auditę, viſęq; merces*: & quæ ſequuntur. *Ambolicas ſpecies* voco, quas idem Turnebus *Embolicas* vocandas cenſet; cenſet, inquam, non ratione, aut veteris alicuius ſcriptoris auctoritate vincit, nam in Codice tàm *Sacra embole*, quàm *ambole* exaratum vidimus, idque doctiſsimi viri teſtati ſunt, vt incertum ſit, vtra lectio recipi debeat. Georgius Merula ex vetere codice, non ex ingenio *cataſlus* legẽdum eſſe admonet in carmine illo Martialis, ac Vitruuium inſuper auctorem laudat, apud quem non aliter ſcribi oportere cenſet Gulielmus Philander homo Gallus, quam quam à vobis admodum adoleſcentibus *catlaſtos* reſtitui debere fuerit olim animaduerſum, & in Caſtigationibus ad Feſtum diſertè perſcriptum in voce *bulimam*, ne tàm præclari facinoris memoria aboleretur: à *vobis*, inquam, *adoleſcentibus*, ne quis putaret, vos furtum feciſſe Hadriano Turnebo eo pacto Vitruuij locum emendanti Aduerſariorum

libro

libro 24.cap.7. *Martialis cataplus ſcripſit.* Iterum dico; Georgius Merula in vetere exemplari exaratum reperit *cataſtus*, atque ita etiam legi debere contendit Ioannes Brodęus Miſcellaneorum lib. 1. cap. 17. necnon Hadrianus Iunius Animaduerſ. lib.5.c.14. quibus Turnebum parem facio, is autem Aduerſariorum lib.10. cap.23. rurſus libro 30. cap.26. *cataplus* diſertè agnoſcit; Merulæ autem Calderinum obiicio; poſtremò ego me tibi aduerſarium profiteor; quomodo igitur aſſeuerare audes Martialem *cataplus* ſcripſiſſe? an verò, quia dixerit Auſonius in Narbone,

-toto tibi nauiget orbe cataplus?

pulchra ſanè argumentatio, nec cęterarum abſimilis, quibus hactenus toto iſto tuo opere vſus fuiſti. Poſtrema tua reprehenſio ex earum eſt numero, quæ reſponſionem minimè merentur; nec oportuit me diuinare interpretem legiſſe apud Arrianum λιθίας ὑαλῆς, nam ſic ipſe (Ioannes Guilielmus Stukius inquam) perſpicuè illic ait. *Legendum videtur* ὑαλῆς *interpoſito* α *inter* υ, & λ, *ſic enim infra bis* λιθίαν ὑαλῆν *dicit*. ſed tu μαψιλάκας es, atque oſtentator egregius, nec iſti tuæ garrulitati modum imponere noſti, quam ego ne imiter, taceo, quieſco, verbum non amplius addo.

HABES ad omnia, ni fallor, Villioſcaliger, atque ita habes, vt iure de me queri non poſsis, ἶσον γὰρ ἴσῳ, iuxta vetus prouerbium: in eo tantùm pares vices tibi retuliſſe non videbor, quòd vniuerſam gentem Gallicam non pupugi, quemadmodum tu Italam acerbiſſimis maledictis non vno in loco exagitaſti: hoc ego nec feci, nec verò factum volo, & ſi qui ſunt ex Italis, qui de Gallis ſecus, atque oporteat, hoc eſt minus honorificè loquantur, primùm ij paucisſimi omninò ſunt, nec ſatis digni, propter quos vniuerſa noſtra natio abs te malè audire debuerit; deinde ſtultisſimos eos eſſe, odioq; & inuidentia ſuffuſum animum gerere neceſſe eſt, quorum iccircò nulla ratio haberi debet; quicquid dixi, de te vno dixi; gentem iſtam nobilisſimam, & literarum laude percelebrem, multiſq; nominibus commendandam ita ſuſpicio, vt tibi, ſiue Italus ſis, ſiue Gallus, in ea diligenda, ſummiſq; laudibus attollenda nullo pacto concedam.

longum vale.

FINIS.